

# S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

## CONTRA JOANNEM HIEROSOLYMITANUM

### AD PAMMACHIUM

#### LIBER UNUS<sup>1</sup>

**407** 1. *Periculosum de alterius animo judicare.* — Si juxta Paulum apostolum, quod sentimus orare non possumus (*Rom. viii, 26*), ac propriæ mentis cogitationem sermo non explicat; quanto magis periculosum est de alterius animo judicare, et singulorum dictorum atque verborum investigare atque proferre rationem? Natura hominum prona est ad clementiam, et in alieno peccato sui quisque miseretur. Si ergo reum in sermone reprehenderis, simplicitatem vocabit; si calliditatem argueris, imperitiam confitebitur, ut suspicionem vitet malitiæ. Atque fiet ita ut tu qui arguis, calumniator: ille qui reprehenditur, non hæreticus, sed rusticus judicetur. Nosti, Pammachi [*Al. Pammachium*], hosti me ad hoc opus non inimicitiis, non gloriæ cupiditate descendere; sed provocatum litteris tuis ex ardore fidei; ac velle si fieri potest, omnes id ipsum sapere, nec impatientiæ ac temeritatis posse reprehendi, si [*Al. qui*] post triennium loquor. Denique nisi ad Apologiam<sup>2</sup>, de qua nunc scribere institui, multorum animos dices perturbatos, et in utramque partem fluctuare sententiam, decreveram **408** in incepto silentio permanere.

2. *Novatus est Montanus. Qui pure credit, pure loqui debet. In suspitione hæreseos nemo sit patiens.* — Facessat itaque Novatus errantibus non manus porrigens, Montanus cum insanis feminis prostratur, jacentes in barathrum præcipitans, ne levantur. Quotidie peccamus omnes et in aliquo labimur: Qui ergo in nos clementes sumus, rigo-

<sup>1</sup> Ed. Vallars. sic edidit titulum: *Incipit liber S. Hieronymi presbyteri ad Pammachium contra Joan. Hierosol.*; Martian. vero, *Adversus hæreses Joannis Hierosolym.* In recentiori ms. codice Sorbonico ita inscribitur: *Incipit liber S. Hieronymi ad Pammachium contra Joannem Hierosolymitan. episcopum. et Rufinum presbyterum Origenis assertorem.* In codice vero Cluniacensi: *Incipit liber S. Hieronymi presbyteri de creatione animæ, vel de resurrectione carnis contra epistolam Rufini hoc modo scribentis.* Sermo nobis est omnium visibillum, etc., ut leguntur in medio hujusce Epistolæ. In

rem contra alios non tenemus: quin potius oramus, obsecramus, ut aut simpliciter nostra fateatur, aut aperte defendat aliena. Nolo verborum ambiguitates: nolo mihi dici, quod et aliter possit intelligi. Revelata facie gloriam Domini contemplerur (*II Cor. iii, 18*). Claudicabat quondam et Israeliticus populus in utroque pede. Sed *Elias*, qui interpretatur, *fortis Domini*<sup>3</sup>: « Usque quo ait, claudicatis in utroque vestigio? Si Dominus est Deus, ambulate post eum: si autem Baal, sequimini eum (*III Reg. xviii, 21*). » Et ipse Dominus de Judæis: « Filii alieni mentiti sunt mihi: filii alieni inveteraverunt, et claudicaverunt a semitis suis (*Psal. xvii, 46*. » Certe si hæreseos nulla suspicio est (ut cupio et credo) cur non verbis meis meum sensum loquitur? Quam ille simplicitatem vocat, ego malitiam **409** interpretor. Persuadere mihi vult, quod pure credat; pure ergo et loquatur. Et si quidem unum verbum, vel unus sensus esset ambiguus, si duo, si tres, ignorantiam veniam tribuerem; nec ea quæ aut obscura vel dubia sunt, de certis et perspicuis æstimarem. Nunc vero quæ ista simplicitas est, quasi super ova et aristas inter theatrales præstigias pendenti gradu incedere: ubique dubium, ubique suspectum? Putes eum non expositionem fidei, sed figuratam controversiam scribere. Quod iste nunc appetit, olim in scholis didicimus. Nostra adversum nos dimicat armatura. Etiam si bene credit, et circumspice et timide loquitur, suspicionem mihi facit nimia diligentia. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confi-*

fine quoque multa desunt in eodem ms. codice; nam ante verba *præpostero ordine*, etc., habet EXPLICIT. Codex San-Cyrganus eodem modo incipit et absolvitur; sed hanc retinet epigraphen: *Incipit liber sancti Hieronymi de resurrectione carnis.* MARTIAN.

<sup>2</sup> Quam pro sua causa ad Theoph. Joannes scripsit Isidori opera, et quam Hieronym. hoc libro exagitat.

<sup>3</sup> Ab אַל fortis et יהוה vel יהוה Deus, vel, Dominus. I Reg. xvii et xviii. In libro Nominum interpretatur Deus Dominus.

*denter* (Prov. x, 9). Stultum est frustra infamiam sustinere. Objicitur ei crimen, cujus non habet conscientiam. Ergo crimen quod totum pendet in verbo, neget confidenter, ac libere faciat invidiam adversario suo (S. Epiphano). Eadem audacia qua ille insinuat, hic defendat. Cumque omnia dixerit quæ voluerit, quæ proposuerit, quæ suspicionibus carent; si perseverat calumnia, conserta manu in jus trahat. Nolo in suspitione hæreseos quemquam esse patientem; ne apud eos qui ignorant innocentiam ejus, dissimulatio conscientia judicetur, si taceat; licet superfluum sit ejus præsentiam quærere, et extorquere silentium. cujus apud te litteras teneas.

3. *Joannem ipsum alloquitur.* — Scimus omnes, quid tibi scripserit, quid in te arguerit, in quo (ut tu vis) calumniatus sit. Responde ad singula, per Epistolæ hujus gradere vestigia, ne punctum quidem et apicem calumniæ transeas. Si enim egeris negligenter, et (ut ego tibi credo juranti) casu aliqua transieris statim ille clamabit et dicet: Hic, hic te victum [Fort. vinctum] teneo; hic totius negotii cardo versatur. Non æque inimici audiunt, et amici. Qui inimicus est, etiam in scirpo nodum quærit: amicus prava quoque recta judicat. Scribunt sæculi litteræ, amantium cæca esse judicia; quas tu forsitan sacris voluminibus occupatus omnino neglexeris. Nunquam de amicorum judicio glorieris. Illud verum 410 est testimonium, quod ab inimica voce profertur<sup>1</sup>. Alioqui si amicus pro te dixerit non testis, aut judex sed fautor putabitur. Hæc et hujusmodi loquentur inimici tui, qui tibi forte non credant, et movere cupiant stomachum. Cæterum ego quem nunquam volens læsisti, cujus semper in Epistolis tuis nomen cogaris ventilare, de consilium ut aperte aut fidem Ecclesiæ prædices, aut loquaris, ut credis. Dispensatio etenim ac libratio ista prudens verborum, indoctos decipere postest. Cautus auditor et lector cito deprehendet insidias: et cuniculos quibus veritas subvertitur, aperte in luce demonstrabit. Et Ariani<sup>2</sup>, quos optime nosti, multo tempore propter scandalum nominis ὁμοούσιον (*consubstantialem*) se damnare simulabant, venaque erroris circumlinebant melle verborum. Sed tandem coluber se tortuosus aperuit, ex noxium caput, quod spiris totius corporis tenebatur, spiritali nucrone cofossum est<sup>3</sup>. Recipit, ut scis, Ecclesia pœnitentes; et numero superata peccantium dum deceptis gregibus consurrit, pastorum vulneribus ignoscit. Eadem nunc in veteri et nova hæresi consuetudo servatur, ut aliud populi audiant, aliud prædicent sacerdotes.

<sup>1</sup> Cicero lib. 1 *Officiorum*, qui Platonis effatum istud Latine reddit. Vetus editio, *Quod ab invita voce profertur*.

<sup>2</sup> Iis nempe, et Macedonianis quoque aures accommodaverat, antequam episcopatum adipisceretur.

<sup>3</sup> Vetus edit., *Coluber tortuosus apparuit, et noxium caput, quod spiris totius corporis tegebat,*

4. *Joanni episcopo in Palæstina non communicabant plures. Joannem hæreticum vocabat S. Epiphanius. Athanasius et Paulinus soli in Oriente catholici.*

— Ac primum antequam epistolam tuam, quam scripsisti ad episcopum Theophilum, interpretatam huic volumini inseram, et ostendam tibi, me intelligere nimis cautam [Al. tantam] prudentiam tuam, expostulare tecum libet. Quæ hæc est tanta arrogantia, non respondere de fide interrogantibus? Tantam fratrum multitudinem, et monachorum choros, qui tibi in Palæstina non communicant, quasi hostes publicos æstimare? Dei Filius propter unam morbidam ovem, nonaginta novem in montibus derelictas, alapas, crucem, flagella sustinuit, et suis humeris portavit ad cælos bajulans et patiens delicatam peccatricem. Tu beatissimus papa, et fastidiosus antistes<sup>4</sup>, solus dives, solus sapiens, solus nobilis ac disertus, conservos tuos, et redemptos sanguine Domini tui, rugata fronte et obliquis oculis despicias? Hoc est illud, quod, Apostolo præcipiente, didicisti: « Parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in vobis est spe (I Petr. III. 25)? » Finge nos occasionem quærere, et sub prætextu fidei lites serere, schisma conficere, jurgia concitare. Tolle occasionem volentibus occasionem<sup>5</sup>; ut postquam de fide satisfeceris, et omnes nodos qui contra te nectuntur absolveris, tunc liquido omnibus probes, non dogmatum, sed ordinationis esse certamen. Nisi forte prudenti consilio, ideo de fide interrogatus taces, ne videaris hæreticus esse [Al. fuisse], cum satisfeceris. Omnia ergo crimina, quibus accusantur homines, refutare non debent: ne postquam negaverint, criminosi sint. At contemnis laicos diaconos atque presbyteros. Potes enim (ut gloriaris et jactitas) in una hora mille clericos facere. Habes papam Epiphanium, qui te aperte missis litteris<sup>6</sup> hæreticum vocat. Certe nec ætate, nec scientia, nec vitæ merito, nec totius orbis testimonia, major illo es. Si ætatem quæris, juvenis ad senem scribis [Al. scribes]. Si scientiam, non sic eruditus ad doctum: licet te fautores tui, disertiores Demosthene, auctiores Chrysippo, sapientiores Platone contendat, et tibi ipsi forte persuaserint. De vita autem et fide nihil amplius dicam ne te lædere videar. Eo tempore quo totum Orientem (excepto papa Athanasio atque Paulino) Arianorum et Eunomianorum hæresis possidebat, quando tu Occidentalibus et in medio exilio confessoribus non communicabas; ille vel presbyter monasterii ab Eutychio<sup>7</sup> audiebatur vel postea episcopus Cypri a Valente non tangebatur. Tantæ

*spiritualis, etc. Mox, Et in venia superata peccantium, etc.*

<sup>4</sup> Eadem vetus edit., *et fastidiosus antistes.*

<sup>5</sup> Olim, *Tolle volentibus occasionem, et mox, Liquido omnibus pateat, non, etc.*

<sup>6</sup> In veteri edit. *Multis litteris pro missis.*

<sup>7</sup> Euty chius iste Eleutheropolitanus episcopus fuit, qui ob odium in S. Cyrillum Hierosolymita-

enim venerationis semper fuit, ut regnantes hæretici ignomiam suam putarent, si talem virum persequerentur. Scribe igitur ad hunc. Responde epistolæ ejus : sentiant cæteri finem, eloquentiam, prudentiam tuam, ne tibi solus disertus esse videaris: Cur ab alio provocatus, aliorum arma convertis? Palæstinæ [Al. Palæstinis] interrogaris, et respondes Ægypto. Aliis lippientibus, ungis oculos non dolentium. Si placitura nobis alteri loqueris, satis superbe: si aliud quam quærimus, satis superflue.

412 5. *Theophilus quid probaverit.* Sed dicis, epistolam meam probavit Alexandrinus episcopus. Quid probavit? contra Arium, contra Photinum, contra Manichæum bene locutum. Quis enim te hoc tempore arguit Arianum? quis tibi nunc Photini Manichæique crimen impingit? Olim ista emendata sunt atque concussa. Non eras tam stultus, ut aperte defenderes hæresim, quam sciebas Ecclesiæ displicere. Noveras te si hoc fecisses, statim loco movendum, et solii tui delicias suspirabas. Sic sententiam temperasti, ut nec simplicibus displiceres, nec tuos offenderes. Bene scripsisti, sed nihil ad causam pertinens. Unde noverat Alexandrinæ Ecclesiæ pontifex, in quibus argueris? quorum a te confessio postularetur? Debueras tibi objecta proponere, et sic ad singula respondere. Vetus narrat historia: Quidam cum diserte diceret, ferreturque impetu ac volubilitate verborum, causamque omnino non tangeret, prudens auditor et iudex: « Bene inquit, bene, sed quo istud tam bene? » Imperiti medici ad omnes oculorum dolores uno utuntur collyrio. Qui arguitur in pluribus, et in dilutione criminum aliqua prætermitit, quidquid tacuerit, confitetur. An non respondisti ad epistolam Epiphani, et proposuisti ipse quæ dissolevres? Nimirum hac fiducia respondisti: Nullus fortiter a semet ipso cæditur. Eligere duobus, quod vis. Optio tibi dabitur, aut respondisti ad epistolam Epiphani, aut non. Si respondisti, cur maxima et plurima de his quæ tibi objecta sunt, reliquisti? Si non respondisti, ubi est illa Apologia tua, in qua gloriaris apud simplices: et quasi [Al. quam] ignorantibus causam, huc illicque disseminas?

6. *Tribus ex octo quæstionibus Joannis respondet.* — Octo tibi (ut statim probabo) de spe fidei Christianæ quæstionum capita sejecta sunt. Tria tantum tangis, et præteris. In cæteris grande silentium est. Si ad septem absolutissime respondisses, hærerem tamen [Al. tantum] in uno crimine: et quod tacueras, hoc tenerem. Nunc vero quasi auribus lu-

num, Acacii Cæsariensis Ariani partes tuebatur, tametsi, ut Epiphanius tradit, ipse intus et in corde catholicus esset. Paulo supra pro in medio exsilio erat in veteri edit. in *Judææ exsilio*.

<sup>1</sup> Ex Græco proverbio, τῶν ὠτῶν ἔγω τὸν λύκον, οὐτ' ἔγειν, οὐτ' ἀφείναι δύνανται, quod sic ferme vertit Latine Terentius Phorm. III, 2, 21: *Auribus teneo lupum. Nam neque quomodo a me amittam,*

A pum apprehenderis<sup>1</sup>, nec tenere potes, nec audeo dimittere. Ipsa quoque tria 413 quasi negligens atque securus, quasique aliud agens: et in quibus aut nulla aut parva sit quæstio, prætervolas atque perstringis. Et ita opertus ac textus incedis, ut plus confitearis tacendo quam renuas disputando. Quis non protinus tibi potest dicere: « Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt (Matth. vi, 23)? » Si tres quæstiunculæ, de quibus visus es aliquid dicere, suspitione et culpa non carent, et fraudulenter ac lubrico scriptæ coarguuntur, quid faciemus de quinque reliquis, in quibus quia nulla ambigui sermonis dabatur occasio, nec illudere poteras audientes, malaisti omnino reticere, quam aperte quod rectum [Al. tactum] fuerat confiteri.

B 7. *Octo ex Origenis erroribus quæstionum capita Joanni objecta ab Epiphano.* — Et primum de libro περὶ Ἀρχῶν ubi loquitur: sicut enim incongruum est dicere, quod possit Filius videre Patrem: ita inconueniens est opinari, quod Spiritus sanctus possit videre Filium. Secundum, quod in hoc corpore quasi in carcere sint animæ religatæ; et antequam homo fieret in paradiso, inter rationales creaturas in cælestibus commoratæ sunt. Unde postea in consolationem suam anima loquitur in psalmis: « Priusquam humiliarer, ego deliqui (Psal. cxviii, 67). » Et: « Revertere, anima mea, in requiem tuam (Psal. cxiv, 7). » Et « Educ de carcere animam meam (Psal. cxli, 8), » et cætera his similia. Tertium, quod dicat, et diabolus et demones acturos pœnitentiam aliquando, et cum sanctis ultimo tempore regnatos. Quartum, quod tunicas pelliceas humana corpora interpretetur, quibus post offensam et ejectionem de paradiso Adam et Eva induti sint, haud dubium qui ante in paradiso sine carne, nervis et ossibus fuerint. Quintum, quod carnis resurrectionem membrorumque compagem, et sexum quo viri dividimur a feminis, apertissime neget: tam in explanatione primi psalmi, quam in aliis multis tractatibus. Sextum, quod sic paradysum allegorizet, ut historiæ auferat veritatem; pro arboribus angelos, pro fluminibus virtutes cælestes intelligens: totamque paradysi continentiam<sup>2</sup> tropologica interpretatione subvertat. 414 Septimum, quod aquas, quæ super cælos in Scripturis esse dicuntur, sanctas supernasque virtutes, quæ super terram et infra terram, contrarias et dæmoniacas esse arbitretur. Octavum, quod extremum objicit, imaginem et similitudinem Dei, ad quam homo conditus fue-

*invenio, neque uti retineam, scio.*

<sup>2</sup> Intellige pro eo quod in paradysi historia continetur, atque enarratur. Hoc sensu Siricius papa, Epist. ad diversos contra Jovinianum, ab eo dixit *novi ac veteris Testamenti continentiam præverti*, quod est doctrinam in utroque Testamento contentam absurde interpretari.

rat, dicit ab eo perditam, et in homine post paratum non fuisse.

8. *Humilitas ac charitas Epiphanii. Prætextatus consul designatus; quid solebat dicere. Fides pura moram non patitur. Zelus fidei quis debeat esse.* — Hæ sunt sagittæ, quibus confoderis: hæc tela, quibus in tota Epistola vulneraris: excepto eo, quod tuis genibus advolutus, sanctamque canitiem seposito parumper sacerdotis honore substernens [*Al.* substinens], deprecatur salutem tuam, et his verbis loquitur: « Præsta mihi et tibi ut salveris, sicut scriptum est, A generatione perversa: et recede ab hæresi Origenis, et a cunctis hæresibus, dilectissime. » Et infra: « Propter defensionem hæreseos adversum me odia suscitantes rumpitis charitatem, quam in vobis habui: in tantum, ut faceretis nos etiam pœnitero quare vobis communicaverimus, ita Origenis errores et dogmata defendentibus. » Dic mihi, disputator egregie, de octo capitulis, ad quæ responderis. Paulisper de cæteris taceo (*Al.* tacens). Prima illa blasphemia, quod nec Filius Patrem, nec Filium possit videre Spiritus sanctus, quibus a te telis confossa est? « Sanctam, inquit, et adorandam Trinitatem, ejusdem substantiæ, et coæternam, ejusdem gloriæ et divitatis credimus: anathematizantes eos qui grande, aut parvum, aut inæquale, aut visibile in deitate Trinitatis quidquam loquuntur. Sed sicut incorporalem, invisibilem et æternum dicimus Patrem: sic incorporalem, invisibilem et æternum dicimus Filium et Spiritum sanctum. » Nisi hoc diceres, Ecclesiam non teneres: et tamen non quæro, si ante non dixeris <sup>1</sup>, non eventilabo, si amaveris eos qui talia prædicaverunt; cum quibus fueris, quando ista dicentes exsilia sustinebant: quis sit ille, qui Theone presbytero Spiritum sanctum Deum [*Al.* Domini] in Ecclesia prædicante, clausit aures, forasque cum suis concitus fugerit, ne tantum audiret piaculum, Statim <sup>2</sup> sera conversione fidelem, inquit, volo. Miserabilis Prætextatus, qui designatus consul est mortuus. Hæmo sacrilegus, et idolorum cultor, solebat ludens beato papæ Damaso dicere: Facite me Romanæ urbis episcopum, et ero protinus Christianus <sup>3</sup>. Quid mihi longo sermone et lacinoso periodo Arianum te non esse demonstras? Aut nega hoc dixisse eum, qui arguitur: aut si locutus est <sup>4</sup> talia, damna, quia dixerit <sup>3</sup>. Vis scire quantus sit

A ardor bene credentium? audi Apostolum; « Et si nos (*Al.* hono) aut angelus de cælo aliter evangelizaverit vobis quam annuntiavimus, anathema sit (*Galat.* 1, 8). » Tu mihi ut crimen extenues, et dissimulato nomine criminosi, quasi segura sint omnia et nullus in blasphemis arguatur, otiosam <sup>4</sup> fidem artificii sermone contextis. Dic statim, et Epistola tua hoc habeat exordium, anathema ei, qui talia ausus est scribere. Fides pura moram non patitur. Ut apparuerit scorpius, illico conterendus est. David inventus secundum cor Domini. « Nonne, inquit, odientes te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos (*Psal.* cxxxviii, 21, 22). » Ego si patrem, si matrem, si germanum adversum Christum meum audivissem ista dicentes, quasi rabidi canis blasphemantia ora lacerassem, et fuisset in primis manus mea super eos. Qui patri et matri dixerunt: *Non novimus vos* (*Deut.* xxxiii, 9), hi impleverunt voluntatem Domini. Qui diligit patrem aut matrem super Christum, non est eo dignus (*Matth.* x, 37),

9. *Invisibiles sunt angeli. Hieronymi pura fides ac sinceritas.* — Objicitur tibi, quod magister tuus, quem catholicum vocas, quem defendis obnixe dixerit: « Filius non videt Patrem; et Filium non videt Spiritus sanctus. Et tu mihi dicis: Invisibilis Pater, invisibilis Filius, invisibilis Spiritus sanctus: » quasi non et angeli et Cherubim et Seraphim, secundum naturam suam oculis nostris invisibiles sint? Certe David etiam de aspectu cælorum dubitans: « Videbo, inquit, cælos, opera digitorum tuorum (*Psal.* viii, 5). » Videbo. non video. Videbo, quando facie revelata gloriam Domini fuero contemplatus: nunc autem ex parte videmus, et ex parte cognoscimus (*I Cor.* xiii, 9). Quæritur <sup>414</sup> an Patrem videat Filius: et tu dicis: « Invisibilis Pater est. » Deliberatur an Filium videat Spiritus sanctus: et tu respondes, « Invisibilis est Filius. » Versatur in causa, an se invicem Trinitas videat, humanæ aures tantam blasphemiam ferre non sustinent: et tu dicis. « Invisibilis Trinitas est. » In laudes cæteras evagaris: peroras in his, quæ nullus inquirat. Auditorem aliorum trahis, ut quod quærimus, non loquaris. Verum hæc ex superfluo dicta sint. Donamus tibi ut non sis Arianus: imo plus, ut nunquam fueris. Concedimus, ut in expositione primi capituli, adversum te nulla suspicio sit, et totum pure, totum simpliciter sis locutus,

<sup>1</sup> Cum nempe antea Macedonii hæresim secutus sit Jo. Hierosolymitanus, et S. Spiritus divinitatem negaverit. Quod subdit de Prætextato altera exprobratio est in Joannem, qui utilitatis causa a Macedonianis secessit, et nihil non movit, ut Hierosolymitanus episcopus fieret.

<sup>2</sup> Vid. Ammian. Marcellin. lib. xxvii, c. 3, ubi de R. Pontif. magnificentia loquitur.

<sup>3</sup> Olim erat, *Aut si locutus est talia, eum damna qui dixerit.*

<sup>4</sup> Reposuimus *otiosam* ex fide mss. et vetustiorum editionum, ipso etiam cogente orationis con-

textu. Puta dici inanem sive inutilem ac superfluum fidem. Eo sensu Quintilianus *otiosum sermonem* dixit, ut ab aliis exemplis abstineam. Erasmus maluisset *enodam* sive *enodem*, Victorius et Martianus *erosam* legunt. — *Erosam fidem*, Non *erosam* sed *otiosam* fidem legunt mss. codices. Conjicit Erasmus legendum *enodam* sive *enodem fidem*, id est simplicem, et nihil habentem distorti. Quod Marianus impugnat in suis scholiis, probans *erosam* fidem legendum, hoc est non integram neque sanam. MARTIAN.

eadem simplicitate et nos tecum loquimur. Num papa Epiphanius accusavit te, quod Arianus esses? Num Eunomii ἀθεός<sup>1</sup>, aut Ærii<sup>2</sup> tibi impegit hæresim? Hoc per totam Epistolam quæritur quod Origenis dogmatum sequaris errores, et quosdam habeas hujus hærescos socios. Cur aliud interrogatus, respondes aliud, et quasi cum stultis loquaris dissimulatis criminibus, quæ in litteris continentur, quid in Ecclesia præsentis Epiphanio dixeris? Confessionem fidei postularis, et disertissimos tractatus tuos nolentibus ingeris? Quæso, lector, ut memor tribunalis Domini, et de iudicio tuo te intelligens judicandum, nec mihi, nec adversario faveas, neve personas loquentium, sed causam consideres. Dicamus ergo quod cœpimus.

10. *Isaias Virginis demonstrator.* Scribis in Epistola tua, quod antequam Paulinianus presbyter fieret, nunquam te papa Epiphanius super Origenis errore convenit. Primum dubium est, et de personis disputo. Ille objecisse se dicit, tu negas: ille testes profert, tu non vis audire productos, ille etiam commemorat alium esse conventum, tu pro utroque dissimulas: mittit tibi per clericum suum epistolam, responsionem flagitat: taces, mutire non audes, et Palæstinæ provocatus, Alexandriæ loqueris. Inter illum et te, cui accommodanda sit fides non est meum dicere. Puto quod nec ipse audeas adversum talem ac tantum virum, tibi veritatem, illi mandacium 417 deputare, Sed fieri potest, ut unusquisque pro se loquatur. Te ipsum contra te testem vocabo. Si enim nulla de dogmatibus quæstio versabatur: si stomachum senis non moveras: si ille tibi nihil responderat, quid necesse erat, ut in uno Ecclesiæ tractatu, de cunctis dogmatibus, homo non satis eloquens, disputares: de Trinitate, de assumptione dominici corporis, de cruce, de inferis, de angelorum natura, de animarum statu, de resurrectione Salvatoris, et nostra: et in terra, quæ forsitan oblitus es scribere, præsentibus populis et tali ac tanto viro, intrepidus diceres et omnia una saliva continuares? Ubi sunt veteres Ecclesiæ tractatores, qui vix singulas quæstiones explicare multis voluminibus potuerunt? ubi electionis vas tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, tonitruus gentium, flumen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium retro generationibus ignoratum (*Coloss.* 1, 26), et profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei magis miratur, quam loquitur (*Rom.* xi, 33)? Ubi

<sup>1</sup> *Nom Dunomii.* Sorbonicum exemplar ms. Num Eunomii, id est sine Deo, aut Ærii tibi impegit hæresim. Editi omittunt nomen Ærii, qui et ipse Arianus fuit ac hæreticus. Vide Epiphanium lib. iii de Hæres., et Augustin. in libro ad Quodvult-deum, MARTIAN.

<sup>2</sup> Haud bene Martian. Ærii pro Ærii, quod celebris hæretici est nomen.

<sup>3</sup> Vox nutibus in veteri edit. desideratur. Porro ex sequenti loco antiquissimum archidiaconi munus animadvertit.

A Isaias Virginis demonstrator, qui in una quæstione succumbens ait: *Generationem ejus qui enarrabit* (*Isa.* LIII, 8)? Repertus est sæculis nostris haud grandis homunculus qui de cunctis Ecclesiæ quæstionibus uno linguæ rotatu sole clarius coruscaret. Si nemo a te postulabat, et tranquilla erant omnia, stulte tanta disputandi voluisti subire discrimina. Si jam tunc in satisfactione fidei loquebaris, ergo non est ordinatio presbyteri, causa discordiæ: quem constat multe post tempore constitutum, Fefellisti absentes, et litteræ tuæ peregrinis auribus blandiuntur.

11. *Anthropomorphitæ.* — Nos hic eramus cuncta novimus quando contra Origenem in Ecclesia tua papa Epiphanius loquebatur: quando sub illius nomine in vos [*Al.* nos] jacula torquebantur. Tu et chorus tuus canino rictu, naribusque contractis, scalpentes capita, delirum senem nutibus<sup>3</sup> loquebamini. Nonne ante sepulcrum Domini misso archidiacono præcepisti, ut talia disputans conticesceret? Quis hoc unquam presbytero suo coram plebe inperavit [*Al.* impetravit] episcopus? Nonne cum de Anastasi<sup>4</sup> pergeretis ad crucem, et ad eum omnis ætatis et 418 sexus turba confueret, offerens parvulos, pedes deosculans, simbrias vellens; cumque non posset præmovere gradum, sed in uno loco vix fluctus inundantis populi sustineret, tu tortus invidia adversus gloriosum semen clamitabas: nec crubuisti in os ei dicere, quod volens et de industria moraretur. Recordare quæso illius diei, quando ad horam septimam invitatus populus spe sola, quasi postea auditurus Epiphanium esse detinebatur, quid tunc cocionatus sis. Nempe contra Anthropomorphitas, qui simplicitate rustica Deum habere membra, quæ in divinis libris scripta sunt arbitrantur, furens et indignus loquebaris; oculos et manus et totius corporis truncum, in senem dirigebas, volens illum suspectum facere stultissimæ hæreseos. Postquam lassos ore arido, resupinaque cervice ac trementibus labiis conticuisti, et tandem totius populi vota completa sunt, quid tibi fecit delirus et fatuus senex? Surrexit, ut se indicaret pauca dicturum esse, salutataque et voce et manu Ecclesia<sup>5</sup>, « Cuncta (inquit) quæ locutus est collegio frater, ætate filius meus, contra Anthropomorphitarum hæresim, bene et fideliter locutus est, quæ mea quoque damnatur voce. Sed æquum est, ut quomodo hanc hærestm condemnemus<sup>6</sup>, etiam Origenis perversa dogmata condemnemus.»

<sup>4</sup> Victor ἀναστάσει, quod est de loco Resurrectionis, ad locum sive stationem crucis. Vetus autem edit, perperam, Nonne cum una cum Dei serva Anastasio pergeretis, etc.

<sup>5</sup> Manu scilicet ad os lata, deinde porrecta, quæ votus erat salutationis etiam ecclesiasticæ consuetudo, Græci dicunt τὴν τῶν διὰ χειρῶν φιλήμασι.

<sup>6</sup> Vetus edit. *Æquum est, ut liquido explicemus quomodo hanc hæresim condemnemus.*

Qui risus omnium, quæ acclamatio consecuta sit, A  
puto quod retineas. Hoc est illud quod in Epistola  
tua dicis, loquentem illum ad populum quæ vellet,  
et qualia vellet. Scilicet deliberat, qui in regno tuo  
contra tuam sententiam loquebatur. Quæ vellet,  
inquis, et qualia vellet. Vel lauda, vel reproba.  
Quid et hic dubius incedis? Si bona erant quæ  
loquebatur, cur non aperte prædicas? Si mala,  
cur non constanter reprehendis? Atqui columna  
veritatis ac fidei, qui de tanto viro audet dicere,  
loquente illo ad populum quæ vellet, de seipso  
quam prudenter et verecunde, quam humiliter re-  
ferat, consideremus. « Cum, inquit, et nos quadam  
die ante eum locuti essemus, et præsens lectio  
[Evangelii] provocasset, audiente illo et universa  
Ecclesia, de fide et omnibus 419 ecclesiasticis  
dogmatibus hæc locuti sumus, quæ et semper, B  
gratia Dei, indesinenter in Ecclesia docemus, et  
in catechesibus.

12. *Pater episcoporum Epiphanius.* — Rogo quæ  
est ista confidentia, qui tantus animi tumor? Gor-  
giam Leontinum cuncti philosophi et oratores lace-  
rant, quod ausus sit, publice sella posita, polliceri  
responsurum se, de qua quisque re interrogare vo-  
lisset. Nisi me honor sacerdotii et veneratio no-  
minis refrenaret, et scirem illud Apostoli: « Ne-  
sciebam, fratres, quia pontifex est: scriptum est  
enim: Principem populi tui non maledices (Act.  
xxiii. 5; Exod. xxii, 28), » qua vociferatione et in-  
dignatione verborum, de tua narratione conque-  
rerer! Licet ipse nominis tui extenuis dignitatem,  
cum patrem pene omnium episcoporum, et antiquæ C  
reliquias sanctitatis et opere et sermone despicias.  
Dicis te quadam die, cum præsens lectio provocasset,  
audiente illo et universa Ecclesia, de fide et omnibus  
ecclesiasticis dogmatibus disputasse. Nunc<sup>1</sup> est mira-  
ri Demosthenem, qui pulcherrimam orationem contra  
Æschinem multo tempore dicitur exarasse. Frustra  
suspiciamus (Al. suscipimus) Tullium; refert enim  
Cornelius Nepos<sup>2</sup>, se præsentem, iisdem pene verbis  
quibus edita est, eam pro Cornelio seditioso tri-  
buno defensionem peroratam. En Lysias noster,  
en Gracchus, et ut aliquid de neotericis inferam,  
Qu. Aterius, qui ingenium in numero habebat,  
ut sine monitore tacere non posset: de quo egregie  
Cæsar Augustus, « Quintus, inquit, noster suffla-  
minandus est<sup>3</sup>. »

<sup>1</sup> Ita mss., pro quo editores substituunt *non*, ex  
consequenti, ut aiunt, serie orationis. At puta iro-  
nico loqui Hieronymum.

<sup>2</sup> Scripserit hæc noster Nepos in libros *de Cice-  
ronis Vita*, qui intercidit. Attamen cum Plinii te-  
stimonio pugnant, qui libr. i, epist. 20, tradit Ci-  
ceronem pro Cornelio quatruiduo egisse, « Ne,  
inquit, dubitare possimus, quæ per plures dies, ut  
necesse erat, latius dixerit, postea recisa ac pur-  
gata in unum librum grandem quidem, unum  
tamen, coarctasse. » In veteri autem edit. absolute  
scribitur *iisdem verbis*; et paulo ante, voces *mul-  
to tempore* desiderantur.

<sup>3</sup> *Noster sufflaminandus est.* Erasmus legit cor-  
rupte *sufflaminandus*; vetus codex *inflammandus*.  
De hoc verbo isthæc legi apud eruditos: *Suffla-*

13. *Consuetudo Ecclesie præ baptizandis.* — Quis-  
quamne prudentum et sani capitis in uno Ecclesie  
tractatu, de fine et de omnibus ecclesiasticis dog-  
matibus se asserat disputasse? Quæso te ut osten-  
das mihi, quæ sit illa lectio, toto Scripturarum  
sapore condita, cujus te occasio provocarit, ut re-  
pente ad periculum ingenii descenderes? Et nisi  
tibi disertitudinis tuæ fluvius inundasset, poteras  
argui, quod non posses ex tempore de cunctis dog-  
matibus dicere. Verum quid hoc est? aliud pro-  
mittis, et aliud exhibes. Consuetudo autem apud  
nos istiusmodi est, ut his qui baptizandi sunt,  
420 per quadraginta dies, publice tradamus san-  
ctam et adorandam Trinitatem (fidei Symbolum).  
Si te præsens lectio provocavit, ut de cunctis dog-  
matibus una hora diceres, quid necesse fuit qua-  
draginta dierum replicare doctrinam? Sin autem  
ea referebas, quæ per totam quadragesimam locu-  
tus es, quomodo te quadam die, ut de cunctis  
dogmatibus diceres, una lectio provocavit? Sed  
et hic ambigue loquitur: potest enim fieri, ut quæ  
per quadraginta dies tradere solet in Ecclesia  
baptizandis, hæc sub unius lectionis occasione per-  
strinxerit. Ejusdem enim eloquentiæ est, et pauca  
multis, et multa paucis verbis posse dicere. Hoc  
quoque intelligi datur, quod postquam illum una  
lectio provocavit, inflammatus ardore dicendi, per  
quadraginta dies nunquam tacuerit. Sed et otiosus  
senex, ex ejus ore dependens, dum res inauditas  
scire desiderat, pene dormiens ceciderit. Ut un-  
que toleranda sunt: fortisan et hæc simpliciter  
more suo sit locutus.

14. *Joannes tacere jussit Epiphanium. Epiphanii  
littera ad Siricium.* — Ponamus reliqua, in quibus  
post lacinosæ disputationis labyrinthos, nequa-  
quam dubiam, sed apertam ponit sententiam, et  
miros tractatus suos hoc fine concludit: « Cum  
hæc ipso præsentem locuti essemus, et ipse post nos  
causa honoris, quem ei super omnem mensuram  
exhibuimus, provocatus esset ut diceret: prædi-  
cationem nostram laudavit, atque miratus est, et  
catholicam fidem esse omnibus declavavit. Quan-  
tum ei super omnem mensuram honoris exhibue-  
ris, declarant supra mensuram exhibitæ contume-  
liæ; quando eum per archidiaconum tacere jussisti,  
et morantem in populis, laudis cupidum per tonabas.

D Docent præsentia de præteritis. Ille per totum ex-  
mino, significat sufflamine comprimere et retine-  
re. Seneca 4 Declamatione: « Tanta illi erat ve-  
locitas orationis, ut vitium fieret. Itaque divus  
Augustus optime dixit: Alterius noster sufflami-  
nandus est. » Ubi alias legitur: *sufflammandus*,  
alias *suffbulandus*. Erat porro sufflumen retina-  
culum rotæ decurrentis, ne velocius ducurreret.  
Gallice *sufflamine* intelligitur *enrayer les roues  
d'un carrosse*, etc. Hac voce abusus est imperitus  
Joannes clericus in Quæstionibus Hieron., quasi  
timuisset ne rotatu quodam ferrentur hodie in  
præcepta studia sacrarum litterarum. MARTIAN. —  
Seneca in iv Declamationum: « Tanta illi, Aterio,  
erat velocitas orationis, ut vitium fieret. Itaque  
divus Augustus optime dixit: Aterius noster suf-  
flaminandus est. » Vid. et de morte Claudii.

inde triennium suas injurias devorat, privataque simultate contempta, fidei tantum correctionem postulat. Tu qui sumptibus abundas (*Al.* abundans), et totius orbis religio<sup>1</sup> lucrum tuum est, gravissimos illos legatos tuos huc illucque transmittis, et dormientem senem ad respondendum suscitās. Et revera cui tantum honoris detuleras, justum **421** erat, ut tua præsertim extemporalia dicta laudaret. Qui vero solent interdum homines laudare quod non probant et alienam stultitiam cassis nutrire præconiis, non solum tua dicta laudavit, sed laudavit atque miratus est : et ne miraculum quoque parvum esset, catholicæ esse fidei omni populo declaravit. Hæc quam verè dixerit, et nos testes sumus qui audivimus, ad quos tuis vocibus perturbatus venit exanimis, temere se communicasse, dicens : Rogatusque ab omni monasterio, ut ad te de Bethleem reverteretur, tantorum preces non ferens, sic reversus est vespere, ut medio noctis aufugeret, et litteræ ad papam Siricium probant : quas si legeris, pervidebis, quomodo tua dicta miratus sit, et catholica declaraverit. Verum nugæ terimus, et aniles et superfluas cantilenas longo sermone convicimus.

15. Transeamus ad secundam quæstionem, in qua quasi nihil sibi propositum sit, securus et ructans dormire se simulat, ut legentes faciat dormitare. Sed de reliquis quæ ad finem pertinent<sup>2</sup>, sermo nobis erat, id est, omnium visibilium, et invisibilium, cœlestium fortitudinum, et terrestrium creaturarum unum et eundem esse conditorem Deum<sup>3</sup>, id est sanctam Trinitatem; **C** « juxta beatum David dicentem : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* xxii, 6) : » quod simpliciter ostendit et hominis creatio. Ipse est enim qui, accepto limo de terra, plasmavit hominem, et per gratiam propriæ insufflationis animam donavit rationabilem (*Al.* rationalem), et liberi arbitrii, non partem aliquam suæ naturæ (juxta quosdam<sup>4</sup>, qui hoc im-

**A** pie prædicant), sed propriam conditionem. Et de sanctis angelis æque credunt, secundum divinam Scripturam **422** de Deo dicentem : « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem (*Psal.* ciii, 4) : » de quibus credere quod immutabilis [*Al.* immutabiles] naturæ sint, non concedit nobis Scriptura, dicens : « Angelos quoque qui non custodierunt suum principatum; sed dereliquerunt proprium domicilium in judicium magni diei<sup>5</sup>, vinculis æternis in tenebris custodivit (*Jud.* 6) : » quia immutati sunt, et ex propria dignitate et gloria, magis in dæmonum ordinem abiisse eos cognovimus (*Al.* cognoscimus). Animas vero hominum ex angelorum ruina, aut ex conversione fieri, neque credidimus aliquando, neque docuimus (absit enim), et alienum hoc esse a prædicatione ecclesiastica confitemur. »

16. *Origenis errores.* — Quærimus utrum animas antequam homo in paradiso fieret, et plasmaretur Adam de terra, inter rationabiles fuerint creaturas; utrum proprium statum habuerint, vixerint, moratæ sint, atque substituerint, et an Origenis doctrina sit vera, qui dixit cunctas rationabiles creaturas, incorporales et invisibiles, si negligentiores fuerint, paulatim ad inferiora labi, et juxta qualitates locorum ad quæ defluunt, assumere sibi corpora. Verbi gratia, primum ætherea, deinde aerea. Cumque ad viciniam terræ pervenerint, crassioribus corporibus circumdari<sup>6</sup>, novissime humanis carnibus alligari, ipsoque dæmones, qui proprio arbitrio cum principe suo diabolo de Dei ministerio recesserunt, si paupulum resipiscere cœperint, humana carne vestiri, ut acta deinceps pœnitentia post resurrectionem eodem circulo, quo in carnem venerant, revertantur ad viciniam Dei, liberati etiam aereis æthereisque corporibus<sup>7</sup>, et tunc omnia genua curvent Deo, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et sit Deus omnia omnibus. Cum ergo **423** ista quærantur, cur tu omissis su-

<sup>1</sup> *Totius orbis religio.* Vides locupletatos tempore Hieronymi sacerdotes ex Christianorum oblationibus, qui causa religionis Hierosolymam pergebant, MARTIAN.

<sup>2</sup> Ex his incipit antiquissimus S. Crucis in Jerusalem de Urbe ms. literis fere papyraceis, sive ut in Ægyptia papyro occurrunt exaratus, sub hac Epigraphe : *Incipit Eusebii Hieronymi de Resurrectione carnis.* Tale fragmentum studiosus non nemo sibi ex integro opere exscripserat.

<sup>3</sup> Vox Deum in laudato ms. desideratur; paulo post quod similiter habet pro simpliciter.

<sup>4</sup> Puta Manichæos. Mox cod. S. Crucis, *Æque credentes*; vetus edit. *æque ordiuntur.*

<sup>5</sup> Mendose hactenus obtinuerat *Dei pro diei*, quod emendamus ex cod. S. Crucis, præter Vulgatum interpretem, Græco etiam textu, τῆμερας, assentiente. Concinnius deinde cod. idem, temetsi non alio sensu, quia mutati sint. Tum vetus edit., *Ex propria dignitate et gloria, magis quam Dei, in dæmonum*, etc.

<sup>6</sup> Cod. S. Crucis, *Corporibus cum circumdatas, novissime etiam humanis carnibus alligatas, ipsosque, etc.*; et paulo post, *ut accepta deinceps pœnitentia.*

<sup>7</sup> Martianæus ait, « Hoc loco errorem theologicum inferunt veteres editiones Erasmi et Mariani Victorii (addare potuisset et vetustiores aliæ), ubi legitur *revertantur ad visionem Dei*, quasi dæmones aliquando Dei visione beata frui potuissent. At non catholicus, sed Origenis sensus hic edisseritur. Num porro levior est error, dæmones acta pœnitentia ad viciniam Dei reverti quam ad visionem? Sic autem re ipsa Origenes sensit tom. III in Mathæum, pag. 332 : Fieri posse ut quemadmodum de incredulitate ad fidem, ab incontinentia ad castitatem, et universo a nequitia ad virtutem homo convertitur, ita et angelus cui animæ cura statim ab ortu commissa est, malus initio esse possit, deinde vero qua proportionem is credit, qui sibi traditus est, eadem et ipse credat, et tantos faciat progressus, ὡς γενέσθαι αὐτὸν ἄγγελον ἕνα τῶν διὰ παντὸς βλέποντων τὸ πρόσωπον τοῦ ἐν οὐρανοῖς πατρὸς, *ut unus ex angelis faciem Patris qui in cœlis est semper spectantibus efficiatur.* » Nescio itaque an verius *visionem* veteres editiones legant; tametsi *viciniam*, nec diveeso quidem sensu, præfert noster quoque ms.

per quibus pugna est, de scammate <sup>1</sup> et loco certaminis egrediens, in peregrinis et longe alienis disputationibus imoraris ?

<sup>17</sup> *Quid in libris περί Ἀρχῶν dicebat Origenes. Quo tempore Commentarios edidit in Ecclesiasten Hieronymus.* — Credis quod cunctas visibiles et invisibiles creaturas unus Deus fecerit : hoc et Arius confiteretur, qui dicit cuncta creata per Filium. Si de Marcionis arguereris hæresi, quæ alterum bonum, alterum justum Deum inferens <sup>2</sup>, illum invisibilem, hunc visibilem asserit Creatorem, recte mihi de hujusmodi satisfeceris quæstione. Credis quod universitatis Trinitas sit creatrix. Istud Ariani et Hemiariani <sup>3</sup> negant, Spiritum sanctum non conditorem, sed conditum blasphemantes. Sed te quis hoc tempore insimulat Ariannum ? Dicis animas hominum non partem Dei esse naturæ ; quasi Manichæus nunc ab Epiphanio sis vocatus. Detestaris eos, qui animas ex angelis asserunt fieri, et illorum ruinam nostram dicunt esse substantiam. Noli dissimulare quod nosti, nec simplicitate <sup>4</sup> quod non habes fingere. Nec Origenes unquam dixit ex angelis animas fieri, cum ipsos angelos nomen esse officii doceat, non naturæ. In libris enim περί Ἀρχῶν, et Angelos, et Thronos, et Dominationes, Potestates, et rectores mundi, et tenebrarum, et omne nomen quod nominatur (*Ephes.* 1, 21), non solum in præsentis sæculo, sed in futuro, dicit animas esse eorum corporum, quæ vel desiderio, vel ministerio susceperint. Solem quoque ipsum et lunam, et omnium astrorum chorum, esse animas rationabilium quondam <sup>5</sup> et incorporalium creaturarum : quæ nunc vanitati subjectæ, ignitis videlicet corporibus, quæ nos imperitiet rudes luminaria mundi appellamus, liberabuntur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Unde et omnis creatura congemiscit et parturit. Et Apostolus deplorat, di-

<sup>1</sup> *De scammate.* Bene monet Marianus, et castigat Erasmus legentem *de stammate*, etc., cum mss. omnes legant *scammate*. MARTIAN. — Sic veteres. appellabant fossam, qua stadium claudebatur et quam ultra progredi certantibus non licebat. Vetus edit. *de numeri tui ordine* : Erasmus. *de stammate*.

<sup>2</sup> *Deum inferens.* Non *serens* neque *ferens* sed *inferens* reperi scriptum in vetustis codicibus. MARTIAN.

<sup>3</sup> *Ariani et Hemiarimi.* Ita legit ms. Sorbonicum exemplar : in Cluniacensi vero non iisdem verbis, sed eodem sensu, *Ariani et Eunomiani negant*. MARTIAN.

<sup>4</sup> *S. Crucis ms. Nec simplicitatem, quam non habes, etc.*

<sup>5</sup> *Idem ms. Quarundam.* Vid. quæ adnotamus in *Epist. ad Avitum*. atque alibi ; S. quoque Augustinum in *Enchiridio*.

<sup>6</sup> *In eodem ms. An id quinto die quando corpus, etc., et mox videre pro vivere.*

<sup>7</sup> *Nomen Arii ex cod. S. Crucis suppletur, juxta quem itidem legimus paulo infra retices, pro quo antea erat retines.*

<sup>8</sup> *In antiquis editionibus glossatoris manu : Hoc est pium animæ sint aerei corporis, et hoc est im-*

**A** cens : « Infelix ego homo, quis me **424** liberabit de corpore mortis hujus (*Rom.* vii, ? 24 » Non est istius temporis contra dogma gentilium, et ex parte Platonicum, scribere. Ante annos ferme decem in Commentariis Ecclesiste, et in explanatione Epistolæ ad Ephesios, arbitror sensum animi mei prudentibus explicatum.

**B** 18. Hoc nunc rogo, qui tanta loqueris, qui de cunctis sermonibus sub uno tractatu edisseris veritatem, ut respondeas sciscitantibus brevem absolutamque sententiam. Quando plasmavit Deus hominem ex limo, et per gratiam propriæ insufflationis ei animam tribuit : utrum illa anima fuerit ante et substiterit, et ubi versata sit, quæ Dei postea insufflatione donata est : an in sexto die quando corpus <sup>6</sup> ex limo formatum est, et esse et vivere Dei potestate susceperit. De hoc taces, et quid quærat scire dissimulas, in superfluis quæstionibus occuparis. Origenem relinquis intactum, et contra Marcionem, Apollinarem, Eunomium, Manichæum, Arium <sup>7</sup> cæterorumque hæreticorum ineptias debaccharis. Manum peteris, et pedem porrigis ; et tamen dogma quod retines, latenter insinuas. Sic nos rusticos placas, ut tuis penitus non displiceas.

**C** 19. Dicis ex angelis dæmones potius quam animas fieri, quasi non et ipsi dæmones juxta Origenem, animæ sint aerei corporis, et ex dæmonibus <sup>8</sup> postea si resipuerint, humanæ animæ sint <sup>9</sup> futuri. « Angelos scribis esse mutabiles, » et sub eo quod pium est, illud quod impium est introducis : ut multis periodis animæ fiant non ex angelis, sed ex his vocabulis, in quæ prius angeli mutati sunt. Volo quod dico, manifestius fieri : si ge aliquem tribunitiæ potestatis suo vitio regradatum, per singula militiæ equestris <sup>10</sup> officia, ad tironis vocabulum devolutum, nunquid ex tribuno statim fit tiro ? Non ; sed ante primicerius, deinde senator <sup>11</sup>, ducenarius, centenarius, **425** biarchus, circitor,

*pium ex dæmonibus, etc.* Deinde isthæc, *angelos scribis esse mutabiles*, in cod. S. Crucis non habentur.

<sup>8</sup> *Animæ sint, etc.* Idem exemplar Cluniac. omittit hæc verba, *hoc est pium*, quæ in aliis libris superflue leguntur. MARTIAN.

<sup>10</sup> *Equestrem* vocat palatinam, ut puto, militiam sive militum, qui pro palatio excubabant.

<sup>11</sup> *Senatorem non militarem dignitatem, sed urbicam esse causatus vir doctus, perperam hic intrusum nomen istud putavit, aut mendose legi.* At non erat suspicioni locus ; occurrit nempe, tametsi raro, apud veteres inter militiæ dignitates senator, in Actis Martyrum Agaunensium a S. Eucherio scriptis. *Incitamentum tamen maximum fidei in illo tempore penes S. Mauricium fuit, primicerium tunc sicut traditur legionis ejus, qui cum Exsuperio, ut in exercitu appellant campiductore (lege campiductore, Græc. enim ὀπλοδιδάκτρις, et ὀπλοδιδάκτρος) et Candido senatore militum occenderat exhortando singulos, etc.* Sed etiam in Theodosii Novella, tit. 29. de Scholaribus, ubi *comitibus scholarum verberandi regradandique senatores ac ducenarios licentia denegatur*, et mox iterum senatorum, ducenariorum centenariorumque mentio est. Constantinus M. c. I Cod. Justiniani de Ollic. Mag.



eques dein tiro; et quanquam tribunus quondam miles gregarius sit, tamen ex tribuno non tiro, sed primicerius factus est. Docet Origenes per scalam Jacob paulatim rationabiles creaturas ad ultimum gradum, id est, ad carnem et sanguinem descendere: nec fieri posse ut de centenario numero subito quis ad unum numerum præcipitetur, nisi per singulos numeros quasi per scalæ gradus, ad ultimum usque perveniat; et tot mutare corpora, quot de cælo ad terram mutaverint mansiones. Hæ sunt strophæ vestræ atque præstigiæ, quibus nos Pelusiotas et jumenta, et animales homines dicitis, quia non recipimus ea quæ spiritus sunt (Vid. Epist. Pamachio et Oceano *ad fin.*). Vos Hierosolymitæ etiam angelos deridetis. Pertrahuntur [*Al. protrahuntur*] in medium vestra mysteria, et de gentilium fabulis dogma contextum, Christianis auribus publicatur. Hoc quod vos miramini [*Al. imitamur*], olim in Platone contempsimus. Contempsimus autem, quia Christi stultitiam recepimus [*Al. recipimus*]. Recepimus Christi stultitiam, quia fatuum Dei sapientius est hominibus (*I Cor. 1, 25*). Non pudet Christianos et sacerdotes Dei, quasi de rebus ludicris agatur, verbis dubiis hæreret<sup>1</sup>, et ambiguas librare sententias, quibus loquens magis quam audiens decipitur.

20. *De quodam Origenista hæc dicta.* — Unus ex choro vestro cum a me teneretur, ut diceret quid sentiret de anima, fuissetne ante carnem, an non fuisset; fuisse respondit simul, et corpus et animam. Sciebam hominem hæreticum laqueos in sermone quærere. Tandem reperi eum, ex quo corpus animasset, ex tunc eam dicere animam nuncupatam, quæ prius vel dæmon, vel angelus Satanæ, vel spiritus fornicationis,<sup>2</sup> aut in parte contraria, dominatio, potestas, administrator spiritus, aut nuntius appellata sit. Si fuit anima antequam Adam in paradiso formaretur, in quolibet statu et ordine, et vixit, et egit [*Al. erat*] aliquid (neque enim possumus incorporalem et æternam in modum glirium immobilem torpentemque sentire), necesse est ut aliqua causa præcesserit, cur quæ prius sine corpore fuit, postea circumdata sit corpore. Et si <sup>426</sup> animæ est naturale esse sine corpore, ergo contra naturam est esse in corpore. Si contra naturam est esse in corpore, ergo resurrectio corporis contra naturam erit. Sed non

Off. Agentibus in rebus ita respondet: Privilegiis dudum scholæ vestræ indultis et integris reservatis, ad DUCENARIAM, CENTENARIAM, et BIARCHIAM, nemo suffragio, sed labore unusquisque perveniat, etc. Erant itaque in schola Agentium in rebus equestris sive palatinæ militiæ, vel aliorum cohortium qui principis res publicas vel privatas tractabant, certi gradus per quos paulatim fuit ascendendum, primo equites, mox circitores, dein biarchi, etc. Nomen Centenarius hic apud Hieronymum deerat, et suppletur e ms. S. Crucis. Pro circitor alii docti viri legant cirmicitor, cujus nec nominis nec dignitatis mentio ulla quod sciam occurrit apud auctores. Circitor autem Græc. περιουτης et κλυθήτης, erat qui vi-

A fiet resurrectio contra naturam; ergo juxta sententiam vestram corpus quod contra naturam est resurgens<sup>3</sup>, animam non habebit.

21. *Manichæum nominare pollutio est.* — Dicitis animam non esse de Dei substantia. Pulchre. Damnas enim impiissimum Manichæum, quem nominare pollutio est. Dicitis ex angelis animas non fieri. Acquiesco paulisper, licet noverim quo sensu dixeris. Quia ergo didicimus quid neges, volumus scire quid credas. « Accepto, inquis, de terra limo, plasmavit Deus hominem, et per gratiam proprie insufflationis animam donavit rationabilem; et liberi arbitrii, non partem aliquam suæ naturæ (juxta quosdam, qui hoc impie prædicant), sed propriam conditionem. » Videte quanto circumitu, quod non quærimus, eloquatur. Scimus quod de terra Deus plasmavit hominem, novimus quod insufflavit in faciem ejus, et factus est in animam viventem: non ignoramus quod anima rationis sit, et proprii arbitrii, et scimus quod Dei illa conditio sit<sup>4</sup>. Nemo dubitat errare Manichæum, qui dicit eam esse Dei substantiam. Hoc nunc interrogo: Anima ista Dei conditio, liberi arbitrii, rationalis, neque de substantia Creatoris, quando facta sit: utrum eo tempore quo de limo factus est homo, et insufflatum est spiraculum vitæ in faciem ejus: an quæ prius fuerat [*Al. antea facta fuerat*], et inter rationabiles creaturas et incorporeas erat atque vivebat, Dei postea insufflatione donata sit? Hic taces, hic simplicem ac rusticum te simulas; et sub verbis Scripturæ, ea quæ Scriptura non sentit, abscondis.

C In eo loco ubi dicitis, quod nullus quærit, non illam partem aliquam esse suæ [*Al. divinæ*] naturæ (juxta quosdam qui hoc impie prædicant), illud magis debueras dicere, quod omnes quærimus, non eam, quæ prius fuerat, non eam quam ante condiderat, quæ inter rationabiles atque incorporeas et invisibiles creaturas multo jam tempore versabatur. Nihil horum lequeris, <sup>427</sup> producis nobis Manichæum, et abscondis Origenem, et sicut parvulis cibum poscentibus, ludicra quædam afferunt gerulæ, ut avocent mentes eorum, sic tu nos rusticos avocas ad alia, ut num alterius personæ novitate tenemur, quod volumus non quæramus<sup>5</sup>.

22. *Eva in typo Ecclesiæ. Quotidie Deus fabricatur animas rationales. Libera confessio fidei.* — Esto, hoc non loquaris, et simplicitas tua nihil in

D gilas circumibat, renuntiabatque si qua culpa esset admissa. Veget. lib. III, c. 8: « Nunc, inquit militiæ factus est gradus: et circitores vocantur. » Alii legunt circatores.

<sup>1</sup> Cod. S. Crucis, *verbia dubia quærere*: leviora ad marginem adnotantur.

<sup>2</sup> In mss. etiam a P. Martianæo inspectis *fortitudinis* legitur pro *fornicationis*.

<sup>3</sup> Illud, *resurgens*, in mss. S. Crucis non habetur.

<sup>4</sup> Idem ms. *factus sit homo in animam*, etc. Tum, *Scimus quod Deus illam creaverit, ejusque conditio sit*.

<sup>5</sup> Ms. S. Crucis *terremur*. Paulo infra vetus editio, *Et causa in medio prætermissa, non solvis dubia nostra, seu in luto, etc.*

se habeat quod callide taccas. Qui ergo de anima semel dicere cœperas, et de re tanta ab exordio conditionis humanæ repetere: cur, disputatione pendente, ad angelos et ad dispensationem Domini corporis repente transcendis: et tam grandi in medio prætermissa salebra, dubios nos in luto hæerere pateris? Si insufflatio Dei (quod non vis, et quod nunc relinquis ambiguum) humanæ animæ conditio est: Eva, in cujus faciem non insufflavit Deus, unde animam habuit? Taceo de Eva, quæ in typo Ecclesiæ de costa viri ædificata, non debet post tanta sæcula nepotum calumnias sustinere. Cain et Abel, primis ex primis hominibus, unde habuere animas? Omne deinceps humanum genus, quibus animarum censetur exordiis? Utrum ex traduce, juxta bruta animalia: ut quomodo corpus ex corpore, sic animam generetur ex anima? an rationabiles creaturæ desiderio corporum paulatim ad terram delapsæ<sup>1</sup>, novissime etiam humanis illigatæ corporibus sint? An certe (quod ecclesiasticum est secundum eloquia Salvatoris) *Pater meus usque modo operatur*<sup>2</sup>, et ego operor (Joan. v, 17); et illud Isaïæ<sup>3</sup>: *Qui format spiritum hominis in ipso*: et in psalmis: *Qui fingit per singulos corda eorum* (Psal. xxxii, 45), quotidie Deus fabricatur animas: cujus velle fecisse est, et conditor esse non cessat? Scio quæ contra hæc soleatis dicere, et adulteria nobis atque incesta proponere; quæ longior pugna est, nec hujus temporis patitur angustias. Eadem controversia et in vos retorqueri potest: et quodecunque in Conditorem præsentis temporis videtur indignum<sup>4</sup>, hoc etiam eo donante non est indignum. Nesci de adulterio, non ejus culpa est qui nascitur, sed illius **428** qui generat. Quomodo in seminibus non peccat terra quæ fovet, non semen quod in sulcos jacitur, non humor et calor, quibus temperata frumenta in germen pululant (sed verbi gratia, fur et latro qui fraude et [Al. exinde] vi eripit semina), sic in generatione hominum [Al. genus humanum] recipit terra, id est, vulva quod suum est; et receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit. Et inter illas secretas ventris angustias, Dei manus semper operatur: idemque est corporis et

<sup>1</sup> Vid. si lubet epist. 81 in nostra recensione de animarum origine. Mox cod. S. Crucis paulatim ad terram delapsæ, etc.

<sup>2</sup> Deerat meus, quod supplet ms. Græco textu assentiente. Pro Isaïæ autem Victorius Zachariæ legit sicque reponendum monet Martianæus quoque, quod hujus prophetæ sint verba cap. xii, 1. At mss. non suffragantur.

<sup>3</sup> Et illud Isaïæ. Pro Isaïæ legendum Zachariæ: hæc enim verba apud Zachariam posita leguntur cap. xii, 4, licet apud Isaïam multa dicantur cap. xlii et lvii, de creatione animæ et insufflatione spiritus. MARTIAN.

<sup>4</sup> Legimus ex ms. S. Crucis, cum antea esset contrario sensu, *In Conditorem præsentis temporis videtur indignum, hoc etiam eo donante non est indignum.*

<sup>5</sup> Verba *Sed audi* in ms. S. Crucis desiderantur. Infra leviora quædam ex eodem emendantur.

A animæ Creator. Noli despiciere bonitatem figuli tui, qui te plasmavit, et fecit ut voluit. Ipse est Dei virtus et Dei sapientia qui [Al. quæ] in utero Virginis ædificavit sibi domum. Jephthæ inter viros sanctos Apostoli voce numeratus (Hebr. xi, 32), meretricis est filius. Sed audi<sup>5</sup>, ex Rebecca et Isaac, Esau genitus, hispidus, tam mente quam corpore, quasi bonum triticum in lolium avenasque degenerat: quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis, causa est vitiorum atque virtutum. Si offensa est nasci corporibus humanis, quomodo Isaac (Gen. xviii), Samson (Judic. xiii), Joannes Baptista (Luc. 1), de repromissione nascuntur? Intelligis quid sit fidem suam audacter ac libere profiteri? Pone errare me, aperte dico quod sentio. Et tu igitur aut libere nostra profiteri, aut constanter tua loquere. Noli statuere<sup>6</sup> te in acie mea, ut rusticitate simulata in tuto babeas, cum volueris, pugnantem terga confodere. Non est istius temporis contra Origenis dogmata conscribere: alteri istud, si Christus vitam dederit, operi dedicabimus, Nunc quæritur, an qui arguitur, ad interrogata responderit, et simplex sit et aperta ejus responsio.

23. *Cum timore Dei loquitur et vult audiri. Joannis confessio.* — Transeamus hinc ad famosissimam de resurrectione carnis et corporis quæstionem, in qua te rursus, lector, admonitum volo ut cum timore et judicio Dei me scias loqui, et te audire debere. Neque enim tantæ stultitiæ sum, ut si in expositione illius fides mera est: et perfidiæ nulla suspicio, quæram accusandi occasionem: et **429** dum volo alium notare culpæ, ipse noter calumniæ. Lege ergo de resurrectione carnis quæ subdita sunt; et cum legeris, et placuerint<sup>7</sup> (scio enim placitura ignorantibus), suspende judicium, expecta paulisper, usque ad finem responsionis nostræ cohibe sententiam: et si tibi postea placuerint, tunc nos calumniæ denotabis. « Passionem quoque ejus in cruce et mortem ac sepulturam, quæ universa servavit, ac resurrectionem veritate, et non putative confitemur: qui (Coloss. 1, 18) et primogenitus ex mortuis, primitias massæ corporum nostrorum, quas in sepulcro positas suscitavit, pervexit ad cœlum, spem nobis resurrectionis in resurrectione

<sup>6</sup> Cod. S. Crucis, *Nolo statuere*, etc.

<sup>7</sup> Periodum hanc cum triplici negatione legunt hucusque editi post Erasmus, *et non placuerint. scio enim haud placitura*, et mox, *si tibi postea non placuerint*. Ex toto autem contextu ac serie orationis et scriptoris mente liquet, contrario legendum esse sensu, trinamque illam negandi particulam expungendam. Neque enim, quod satis oscitanter Martianæus scripsit, *Fides Ecclesiæ* est quæ subnectitur atque eventilatur, sed Joannis, subdoli hæretici, quæ artificiose adeo textitur, ut prima fronte placeat, maxime ignorantibus, et qui doli nihil suspicentur, sed post Hieronymi responsionem, si placuerit, ipse velit calumniæ denotari. Ita præterea legit, quemadmodum et emendavi, præstantissimus S. Crucis ms., duæque veteres editiones, altera Venetiis 1496, altera an. insequenti Nicolai Keslet civis Basileensis, quæ et superiori versu habent, *de resurrectione Dominicæ carnis.*

proprii corporis tribuens : unde et omnes sic speramus resurgere ex mortuis, sicut ille resurrexit. Non in aliis quibusdam peregrinis et in alienis corporibus, quæ assumuntur in phantasmate : sed sicut ipse in illo corpore, quod apud nos in sancto sepulcro conditum resurrexit : ita et nos in ipsis corporibus, quibus nunc circumdamur, et in quibus nunc sepelimur, eadem ratione et visione speramus resurgere<sup>1</sup>. Quæ enim juxta Apostolum seminantur in corruptione, surgent in incorruptione ; quæ seminantur in ignobilitate, surgent in gloria. « Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale (I Cor. xv. 44) ; de quibus et Salvator docens locutus est : « Qui enim digni fuerint sæculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent neque nubentur ; neque enim ultra mori poterunt, sed erunt sicut angeli Dei, cum sint<sup>2</sup> filii resurrectionis (Luc. xx, 35, 36). »

24. Rursum in alia parte Epistolæ, hoc est, in fine suorum tractatum, ut auribus illuderet ne-scientium, strepitum resurrectionis ac pompam hac verborum ambiguitate libravit : « Sed neque de secundo glorioso adventu Domini nostri Jesu Christi intermisimus, qui venturus est in gloria sua judicare vivos et mortuos ; ipse enim suscitabit omnes mortuos, et ante suum tribunal 430 esse faciet ; et unicuique reddet secundum quod egit per corpus, sive bonum sive malum ; scilicet aut coronandus in corpore, quod caste egit et juste ; aut condemnandus, quod voluptatibus pariter iniquitatibusque servivit. » Hoc quod in Evangelio legimus : In consummatione mundi, si fieri potest (Matth. xxiv, 24), seduci etiam electos, in hoc capitulo comprobamus<sup>3</sup>. Audit vulgus indoctum mortuos et sepultos : audit resurrectionem mortuorum, veritate et non putative : audit primitias massæ nostrorum corporum, in Domini corpore ad cælestia pervenisse : audit resurrecturos, non in peregrinis alienisque corporibus, quæ assumuntur in phantasmate, sed sicut surrexit Dominus in corpore, quod apud nos in sancto sepulcro conditum jacuit : ita et nos in ipsis corporibus, quibus nunc circumdamur et sepelimur, in die judicii resurrecturos. Et ne hoc parum quis existimaret, addit in extremo capitulo : « Et unicuique reddet secundum quod egit per corpus<sup>4</sup>, sive bonum, sive malum : scilicet aut coronandus in corpore quod caste egit et D

<sup>1</sup> S. Crucis ms. Eadem ratione et jussione speramus, etc.

<sup>2</sup> Idem ms. sicut angeli in cælo, cum sint, etc. Integrius et juxta Græcum Vulgatus interpretæ æquales angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint, etc.

<sup>3</sup> Vetus edit. In hoc capitulo operatur, cum turba imperita, aut vulgus, etc. ; et mox, Non putative confiteri, ac primitias massæ nostrorum corporum, et Deum corpore, etc.

A dias suspicatur. Credit esse quod dicitur. Sanctiores enim sunt aures populi, quam sacerdotis animus.

25. Iterum atque iterum te, lector, commoueo ut patientiam teneas, et discas quod ego quoque per patientiam<sup>5</sup> didici ; et tamen antequam vultum draconis evolvam, et dogma Origenis de resurrectione breviter exponam (non enim poteris vim scire antidoti, nisi venena perspexeris), illud diligenter observa et caute relegens numera : quod novies resurrectionem nominans corporis, ne semel quidem carnis inseruit : suspectumque tibi sit, quod de industria prætermisit. Dicit ergo Origenes 431 in pluribus locis, et maxime in libro de Resurrectione quarto, et in Expositione primi psalmi, et in Stromatibus, duplicem errorem versari in Ecclesia ; nostrorum et hæreticorum : « Nos simplices et philosarcas<sup>6</sup> dicere, quod eadem ossa, et sanguis, et caro, id est, vultus et membra, totiusque compago corporis resurgat in novissima die : scilicet ut pedibus ambulemus, operemur manibus, videamus oculis, auribus audiamus, circumferamusque ventrem insatiabilem, et stomachum cibos concoquentem. Consequens autem esse, qui ista credamus, dicere nos quod et comedendum nobis sit, et bibendum, digerenda stercoora, effundendus humor, ducendæ uxores, liberi procreandi. Quo enim membra genitalia, si nuptiæ non erunt ? Quo dentes, si cibi non molendi sunt ? Quo venter et cibi, si juxta Apostolum et hic et illi destruentur ? ipso iterum clamante : « Caro et sanguis regnum C Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptionem (I Cor. xv, 58). » Hæc nos innocentes et rusticos asserit dicere. « Hæreticos vero, in quarum parte sunt Marcion, Apelles, Valentinus, Manes<sup>7</sup>. nomen insaniam penitus et carnis et corporis resurrectionem negare : et salutem tantum tribuere animæ, frustra quoque nos dicere ad exemplum Domini resurrecturos, cum ipse quoque Dominus in phantasmate resurrexerit : et non solum resurrectio ejus, sed et ipsa nativitas τῷ δοκεῖν id est, putative visa magis sit, quam fuerit. Sibi autem utramque displicere sententiam, fugere se et nostrorum carnes, et hæreticorum phantasmata : quia utraque pars in contrarium nimia sit ; aliis iidem volentibus se esse quod fuerint [Al. non erunt] ; aliis resurrectionem corporum omnino denegantibus. Quatuor, inquit, elementa sunt, philosophis quoque nota et medicis, de quibus omnes res et corpora humana compata sunt, terra, aqua, aer, et ignis. Terram in carnibus, aerem in halitu, aquam in humore,

<sup>4</sup> Antea erat, in corpore.

<sup>5</sup> Cod. S. Crucis. Per multam patientiam. Paulo post erat, De resurrectionis breviter. etc.

<sup>6</sup> Idem, Philosarcas, id est amatores carniū, scilicet a φίλος σάρξ.

<sup>7</sup> Persicum nomen est Manes, quod servum notat : at Hieronymus ad Græcum μανία respicit, quod furor, insaniam interpretatur, sive μανός insanus.

ignem **433** in calore intelligi. Cum ergo anima A caducum hoc frigidumque corpusculum Dei jussione dimiserit, paulatim omnia redire ad matrices suas substantias : carnes in terram relabi, halitum in aera misceri, humorem reverti ad abyssos, calorem ad æthera subvolare. Et quomodo si sextarium lactis et vini mittas in pelagus, velisque rursum separare quod mistum est : vinum quidem et lac quod miseras non perire (Al. periere), non tamen posse quod fusum est separari : sic substantiam carnis et sanguinis non perire quidem in originalibus materiis, non tamen in antiquam redire compaginem, nec posse ex toto eadem esse quæ fuerint. » Cum autem ista dicantur, soliditas carnis, sanguinis liquor, crassitudo nervorum, venarumque perplexio, et ossium durities denegatur.

**B.** 26. *Origenis sententia.* — « Alia ratione resurrectionem corporum confitemur, eorum quæ in sepulcris posita sunt, dilapsaque in cineres : Pauli Pauli, et Petri Petri, et singula singulorum, neque enim fas est ut in aliis corporibus animæ peccaverint, in aliis torqueantur : nec justis iudicis, alia corpora pro Christo sanguinem fundere, et alia coronari. » Quis hæc audiens, resurrectionem carnis eum negare putet ? « Et, inquit, singulis seminibus ratio quædam a Deo artifice insita, quæ futuras materias in medullæ principii tenet. Et quomodo tanta arboris magnitudo, truncus, rami, poma, folia nan videntur in semine, sunt tamen in ratione seminis, quam Græci <sup>1</sup> σπερματικὸν λόγον vocant : et in grano frumenti est intrinsecus vel me-

<sup>1</sup> Græci σπερματικὸν. Vocem hanc Græcam in ms. codicibus valde depravatam, post multum sudorem sic Erasmus restituere conatur, quam Græci σπινθηρισμὸν vocant. Marianus, Erasmus hoc loco secutus, testatur Cræce ita scriptum esse in exemplaribus manuscriptis. Ergo perierunt nobis codices manuscripti quibus utebatur Marianus Victorius : quia hodie nullus est qui retineat vocem σπινθηρισμὸν. Ne facum igitur faciamus studiosis hominibus, primum vox Græca exprimenda est e vetustis exemplaribus, ubi scribitur his Græcis litteris, quam Græci ΣΠΕΡΤΙΠΟΠΑΡΟΗ vocant. In aliis recentioribus, Latinis elementis scriptum legimus : quam Græci ceratiromason, vel snectiromason vocant. Quæ voces prorsus corruptæ renuntiare utcumque videntur, vel σπερματικὸν aut σπερματίζων, vel etiam σπερματισμὸν. Quod verbum ultimum retinemus in contextu ; cum apud Græcos σπερματισμὸς, seminis emissio, videatur idem esse, quod ratio seminis. Nolim tamen in dubiis contendere.

**MARTIAN.** — In ms. S. Crucis σπερματικὸν λόγον legitur, ex quo levi mutatione emendandum σπερματικὸν λόγον intellexi, quod statim ostendam. **Martianus** σπερματικὸν expressit e suis codicibus quam lectionem, tametsi aperte conflictam, longa oratione nititur approbare, ubi et Victorium qui post Erasmus σπινθηρισμὸν legerat, acerbè castigat. Instaurandæ autem voci ipsa Latina verba ratio seminis suffeciassent, quæ non aliter ac σπερματικὸν λόγον Græci redderent, aut reddere potuissent. Origenes vero, cujus hic sensus expenditur, sæpissime σπερματικούς λόγους memorat, deque illis disserit. Exemplum sume ex initio vicesimi tomii in Joannem, ubi etiam σπερματικούς λόγους συγκαταβαλλομένους τισὶν ψυχαῖς, semina-

dulla, vel venula, quæ cum in terra fuerit dissoluta, trahit ad se vicinas materias, et in stipulam, folia, aristasque consurgit : aliudque moritur, et aliud resurgit. Neque enim in grano tritici, radices, culmus, folia, aristæ, paleæ sunt dissolutæ : sic et in ratione humanorum corporum manent quædam surgendi antiqua principia, et quasi ἐντεριώνη <sup>2</sup> (Al. ἀνερίαν). id est, seminarium **433** mortuorum, sinu terræ confovetur. Cum autem iudicii dies advenerit, et in voce archangeli, et in novissima tuba remuerit terra, movebuntur statim semina, et in puncto horæ mortuos germinabunt : non tamen easdem carnes, nec in his formis restituent, quæ fuerunt. Vis scire verum esse quod dicimus, audi Apostolum : « Sed dicit aliquis : Quomodo resurgent mortui ? quo autem corpore venient ? Insiptens, quod tu seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum ; ut puta tritici, vitis et arboris (I Cor. xv, 35, 37). » Et quia de grano tritici ac semente arborum ex parte jam diximus, nunc de acino vinacii disseramus, Granum parvum est, ita ut vix duobus digitulis teneri possit. Ubi sunt radices ? ubi radicum et trunci et propaginum tortuosa perplexio ? Ubi pampinorum umbracula, et uvarum pulchritudo, futura vina parturiens ? Aridum est quod tenetur, et pene vix cernitur : sed in sicco illo grano, potentia Dei, et occulta ratione sementis <sup>3</sup>, spumantia musta fundentur. Hæc ligno tribues, homini non tribues : quod perituum est, sic ornatur : quod mansurum est <sup>4</sup>, pristinam non recipiet vilitatem. Et vis rur-

**C.** *les raticnes animis quibusdam insitas*, arbitratus est : qua de re consule cl. Huetium in Notis. Vide præterea Diogenem Laertium, lib. vii, § 136. Memorat etiam Sextus Empiricus contra Physicos i, Σπέρμα λογικοῦ, quod inter semina omnis generis, sive λόγους σπερματικούς quibus refertus est mundus, sint etiam illa quibus homo generatur, quæ vocantur λόγοι σπερματικοὶ λογικοῦ.

<sup>2</sup> Quasi ἐντεριώνη, In restitutione hujus etiam vocis infelix Erasmus ; sed infelicior Marianus, qui mutat quasi ἀντέριαν, ut substitua, quasi ἀνθέριον. Neutra vera est lectio Hieronymi, ut ab ipso didici in consequentibus ; loquens enim de eodem seminario mortuorum, et resurrectionis hæreticorum hæc habet infra in ista Epistola : « Qui potentiam Dei calumniaris ? Qui potest de medulla illa et de seminario vestro ἐντεριώνη, non carnes tantum, » etc. Est autem ἐτερνιώνη medulla, cor et matrix, sive pars interna cujusque. Medulla itaque, et matris sinu terræ confovebatur, quasi seminarium ad mortuorum resurrectionem, si Origeni crederemus. **MARTIAN.**

<sup>3</sup> Cod. absque et vocula ; tum *seminantis* pro *sementis*, et pro *fundetur* vetus edit. *sinuantur*.

<sup>4</sup> Totam hancce periodum describo ex ms. S. Crucis, cui et vetus editio nonnihil concinit. Integrior sensus visus est, suppletis verbis *homini non tribues*, quæ ob superioris *tribues* similitudinem ; oculos describentis facile effugerint : deinde concinnior sententia, ac verior inter ligni atque hominis instaurationem comparatio. Hactenus autem obtinuerat contrario sensu in reliquis libris omnibus : « Hæc ligno tribuis, quod perituum est : sic ornatur quod mansurum non est, nec pristinam recipiet vilitatem : et vis rursus ossa, sanguinem, etc.

sum carnem, ossa, sanguinem, membra, ut crescentibus capillis tonsore egeas, nasus pituitas digerat, incrementa unguium resecanda sint, ut per inferiores partes vel stercore, vel libidines effluant? Si affers istas ineptias rusticorum, et carnis, in qua Deo placere non possumus; quasi inimicæ oblivisceris, et resurrectionis mortuorum: « Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in contumelia, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale (I Cor. xv, 42-44). » Nunc oculis videmus, auribus audimus, manibus agimus, pedibus ambulamus. In illo autem corpore spirituali toti videbimus, toti audiemus, toti operabimur, toti ambulabimus: et transfigurabit Dominus corpus humilitatis nostræ, conforme corporis suæ gloriæ. Quando dixit, *transfigurabit*<sup>1</sup> (Philipp. III, 21), **434** id est μετασχηματισε: membrorum, quibus nunc utimur, diversitas denegatur. Aliud nobis spirituale et æthereum promittitur: quod nec tactui subjacet, nec oculis cernitur, nec pondere prægravatur: et pro locorum, in quibus futurum est, varietate mutabitur. Alioqui si eadem cornes erunt, et corpora quæ fuerunt, rursus mares et feminæ, rursus nuptiæ: viris hirsutum supercilium, barba proluxa; mulieribus læves<sup>2</sup> genæ, et angusta pectora, ad concipiendos et pariendos fetus venter et femora dilatanda sunt. Resurgent etiam infantuli, resurgent et senes: illi nutriendi, hi baculis sustentandi. Nec vos, o simplices, resurrectio Domini decipiat, quod latus et manus monstraverit, in littore steterit, in itinere cum Cleopha ambulaverit, et carnes et ossa habere se dixerit. Illud corpus aliis pollet privilegiis, quod de viri semine et carnis voluptate non natum est. Comedit post resurrectionem suam et bibit, et vestitus apparuit tangendum se præbuit, ut dubitantibus apostolis fidem faceret resurrectionis. Sed tamen non dissimulat naturam aerei corporis et spiritualis. Clausis enim ingreditur ostiis, et in fractione panis ex oculis evanescit. Ergo et nobis post resurrectionem bibendum erit et comedendum, et post cibum stercore egerenda? Et ubi erit illa promissio: « Oportet<sup>3</sup> mortale hoc induere immortalitatem (I Cor. xv, 53)? »

**27. Caro et corpus differunt. Astutia hæreticorum.** — Hæc est omnis causa cur in expositione fidei tuæ, ad decipiendas aures ignorantium, novies corpus, et ne semel quidem carnem nominas: dum homines putant te carnes in corporibus consistere, et idem carnem esse quod corpus. Si idem est, non diversum significat<sup>4</sup>. Scio enim te hoc esse dicturum: Putavi idem corpus esse quod carnem:

<sup>1</sup> Idem ms. *transfiguravit*, id est μετασχηματισε

<sup>2</sup> Antea era\ *leves*: paulo post, eod. S. Crucis « Illi nutriendi erunt, hi baculis sustentandi. Nec vos, simplices animæ, resurrectio, » etc.

<sup>3</sup> In eodem ms., *Oportet corruptivum induere incorruptionem, et mortale hoc, etc.*

<sup>4</sup> Ms., *Et non diversum significas.*

**A** simpliciter sum locutus. Quare non carnem potius nominas, ut corpus significes, et indifferenter nunc carnem, nunc corpus, ut corpus in carne, et caro in corpore demonstraretur? Sed, mihi crede, non est simplex silentium tuum. **435** Alia enim carnis, alia corporis definitio est: omnis caro est corpus, non omne corpus est caro. Caro est proprie, quæ sanguine, venis, ossibus, nervisque constringitur. Corpus quanquam et caro dicatur, interdum tamen æthereum vel aereum nominatur, quod tactui visuique non subjacet, et plerumque visibile est atque tangibile. Paries est corpus, sed non caro: lapis corpus est, sed non caro dicitur<sup>5</sup>. Unde apostolus corpora cœlestia appellat, et corpora terrestria. Cœleste corpus solis, lunæ, stellarum: terrestre, ignis, aeris, atque, terræ, et reliquorum, quæ absque anima his censentur elementis. Vides nos intelligere subtilitates vestras, et arcana, quæ in cubiculis et inter perfectos loquimini, et quæ populus foris stans, nec meretur audire, proferre in medium? Hoc est illud quod reducta ad auriculam manu, et concrepantibus digitis, ridentes dicitis: « Omnis gloria filiæ regis intrinsecus (Psal. XLIV, 14). » Et « introduxit me rex in cubiculum suum (Cant. I, 3). » Patet quare corporis, et non carnis resurrectionem dixeris: scilicet ut nos rudes carnem te dicere putaremus in corpore, et hi qui perfecti sunt, intelligerent carnem in corpore denegari. Denique Apostolus in Epistola sua ad Colossenses, volens corpus Christi carneum, et non spirituale, aereum, tenue, demonstrare, significanter locutus est, dicens: « Et vos cum essetis aliquando alienati a Christo, et inimici sensus ejus in operibus malis, reconciliavit in corpore carnis suæ per mortem (Coloss. I, 21, 22). » Rursumque in eadem Epistola: « In quo circumcisi estis circumcisione non manu facta in expositione corporis carnis (Coloss. II, 14). » Si corpus carnem solum significat, et non est nomen ambiguum, nec ad diversas intelligentias trahi potest: satis superflue corporeum et carneum dicit, quasi caro non intelligatur in corpore<sup>6</sup>.

**28. Symbolum fidei ab apostolis traditum.** — In Symbolo fidei et spei nostræ, quod ab apostolis traditum, non scribitur in charta et atramento; Sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis et unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum, carnis resurrectione concluditur<sup>7</sup>. Et tu in tantum in corporis, et iterum **436** corporis, et tertio corporis, et usque novies corporis, vel sermone vel numero immoraris, nec semel nominas carnem; quod illi semper nominant carnem, corpus vero tacent. Sed et illud quod ar-

<sup>5</sup> Deerant isthæc, *Lapis corpus est, sed non caro dicitur*, quæ ex archetypo S. Crucis supplentur.

<sup>6</sup> In ms. *Satis superflue corpori junxit et carnem, quasi caro non intelligeretur in corpore.*

<sup>7</sup> Scilicet de æterna vita articulus in illo de carnis resurrectione contineri credebatur. Vide Rufini expositionem.

gute subnectis, et prudenter præcavens dissimulas A scito nos intelligere. His enim testimoniis veritatem resurrectionis probas, quibus Origines negat, et de dubiis incerta confirmans, certam fidei domum, subita tempestate subvertis. « Seminatur, inquit, corpus animale: surget corpus spirituale. Neque enim nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli in cœlis (I Cor xv, 44; Matth. xxii, 50; Luc. xx, 35). » Quæ alia exempla assumeres, si resurrectionem negares? Vis resurrectionem carnis, veritate et non putative, ut loqueris, confiteri. Post illa, quibus ignorantium blanditus es auribus, quod in ipsis corporibus, in quibus mortui sumus et sepulti, resurgamus, hoc potius adjuuge, et dic<sup>1</sup>: Quomodo Dominus post resurrectionem fixuras clavorum ostendit in manibus, vulnus lanceæ monstravit in latere, et dubitantibus apostolis, quod putarent phantasma se videre, respondit, « Palpate me et videte, quoniam spiritus carnes et ossa non habet, sicut me videtis habere (Luc. xxiv, 39). » et proprie ad Thomam: « Infer digitum tuum in manus meas, et manum tuam in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis (Joan, xx, 27); » sic et nos post resurrectionem eadem habebimus membra, quibus nunc utimur, easdem carnes et sanguinem et ossa: quorum in Scripturis sanctis opera, non natura damnatur. Denique in Genesi scriptum est: « Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt (Gen. vi, 3). » Et Paulus apostolus de prava doctrina et operibus Judæorum: « Non acquievi, ait, carni et sanguini (Galat. i, 16). » Et ad sanctos, qui utique in carne erant, dicit: C « Vos autem in carne non estis; sed in spiritu: si tamen Dei spiritus habitat in vobis (Rom. viii, 9). » Negans enim eos in carne, quos in carne esse constabat, non carnis substantiam, sed peccata damnabat.

29. *Vera resurrectionis confessio. Elias et Enoch.* — Hæc est vera resurrectionis confessio, quæ sic gloriam carni tribuit, ut non auferat veritatem. Quod vero dicit Apostolus, « Corruptibile hoc et mortale (I Cor. xv, 53). » 437 hoc ipsum corpus, id est, carnem, quæ tunc videbatur, ostendit. Quod autem copulat, « induere incorruptionem et immortalitatem, » illud indumentum, id est vestimentum, non dicit corpus abolere quod ornat in gloria, sed quod ante inglorium fuit, efficere gloriosum; ut mortalitatis et infirmitatis viliore veste deposita, immortalitatis auro, et, ut ita dicam,

<sup>1</sup> Sex versum lacunam hic explevimus e S. Crucis ms., cum antea editi omnes hiulco sensu haberent, *adjuuge et dic, Quoniam spiritus carnes, etc.*, omissis quæ nunc primum suffecimus de Domini comparatione, quam orationis contextus inferior, atque ipsum similitudinis adverbium postulabat, et sine quibus mancus erat, imo et auctoris menti contrarius sensus.

<sup>2</sup> *Et cute desuper tegit.* Nullo sensu in editis libris legimus, et *desuper tegit: donec Job tormentorum victor, etc.* Deinde in contextu Jobi, legen-

firmittatis atque virtutis beatudine induamur; volentes non spoliari carne, sed supervestiri in gloria, et domicilium nostrum, quod de cœlo est, superindui desiderantes, ut devoretur mortale a vita. Certe nemo superinduitur, nisi qui ante vestitus est. Sic et Dominus noster in monte transfiguratus est in gloria (Matth. xvii, et Marc. ix), non ut minus ac pedes cæteraque membra perderet, et subito in rotunditate vel solis, vel sphæræ volveretur: sed eadem membra solis fulgore rutilantia, apostolorum oculos præstringerent: unde et vestimenta ejus mutata sunt in candorem, non in aerem; ne forte et vestes ejus asseras spirituales: *Et facies ejus, inquit, fulgebat sicut sol (Matth. xvii, 2).* Ubi autem facies nominatur, æstimo quod et cætera membra conspecta sint, Enoch translatus est in carne (Gen. v, 24). Elias carneus raptus est in cælum (IV Reg. ii, 11): necdum mortui, et paradisi jam coloni, habent membra cum quibus rapti sunt atque translati. Quod nos imitatur jejunio, illi possident Dei consortio. Vescuntur cœlesti pane, et saturantur omni verbo Dei, eundem habentes Dominum, quem et cibum. Audi Salvatorem dicentem: « Et caro mea requiescit in spe (Psal. xv, 9). » Et in alio loco: « Caro ejus non vidit corruptionem (Act. ii, 31). » Et rursum: « Omnis caro videbit salutare Dei (Isa xl, 5). » Et tu semper corpus ingeminas? Profer magis Ezechiel, qui ossa jungens ossibus et educens ea de sepulcris suis, et super pedes stare faciens, carnibus nervisque constringit, et cute desuper tegit<sup>2</sup> (Ezech. xxxvii, 1 seqq.).

30. *Job athleta Ecclesiæ ante Christum. Job videtur contra futurum Origenem scribere.* — Tonet Job tormentorum victor, et testa radens putridæ carnis saniam, miseras suas resurrectionis spe et veritate soletur: « Quis mihi det, inquit, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte<sup>3</sup> sculpan- tur in silice? Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo 438 die de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum: quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo (Job. xix, 23 seqq.). » Quid hac prophetia manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quam iste ante Christum de resurrectione loquitur. Vult verba sua in perpetuum durare: et ut nulla possint vetustate deleri,

dum putant docti pariter et indocti, *vel certe sculpan- tur in silice.* Sed non attendunt Hieronymum expressisse vocem Hebræam יחצבני *iehhatzbn*, *celte sculpan- tur*; ut indicaret instrumentum sculpturæ. MARTIAN.

<sup>3</sup> Sunt critici haud exigui nominis, qui *certe* legi contendunt deberi pro *celte*: et mss. quidem plurimi sunt libri Job, qui *certe* præferunt, qua de re plura dicenda nobis sunt tomo IX, ad hunc Jobi locum ex Hieronymiana versione.

exarari ea vult in plumbi lamina, et sculpi in silice. Sperat resurrectionem, imo novit et vidit<sup>1</sup>, quod vivit Christus redemptor ejus, et in novissimo die de terra resurrecturus sit. Necdum mortuus erat Dominus, et athleta Ecclesie redemptorem suum videbat ab inferis resurgentem. Illud vero quod infert: « Et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, » puto quod non loquatur quasi amator carniū, quas putridas fetentesque cernebat; sed ex fiducia resurgendi, contemnit presentia, solatio futurorum. Rursus ait: « Circumdabor pelle mea. » Ubi hic corpus æthereum? ubi aereum, et spiritui et auræ simile? Certe ubi pellis et caro, ubi ossa et nervi<sup>2</sup>, et sanguis et venæ, ibi carnis structura, ibi sexus proprietas. « Et in carne, inquit, mea videbo Deum. » Quando omnis caro videbit salutare Dei, et Jesum Deum, tunc et ego videbo Redemptorem et Salvatorem, et Deum meum. Videbo autem in ista carne, quæ me nunc cruciat, quæ nunc præ dolore distillat. Idcirco Deum in carne conspiciam, quia omnes infirmates meas sua resurrectione sanavit. Nonne tibi videtur jam tunc Job contra Origenem scribere, et pro carnis veritate, in qua tormenta sustinuit, alterum contra hæreticos habere certamen? Dolet enim, si tanta sit frustra perpesus, et alia spiritualiter resurgente, ista carnaliter cruciata sit. Unde inculcat et exaggerat, et omnia lubricæ confessionis arcana manifesta voce concludit, dicens: « Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. » Is si non sexu suo<sup>3</sup> resurrecturus est, si non eisdem membris quæ jacuere in stercore, si non eosdem oculos aperiat ad videndum Deum, quibus tunc videbat vermiculos<sup>4</sup>, ubi erit **439** ergo Job? Tollis ea in quibus substitit Job, et donas mihi inane vocabulum resurgentis: quomodo si navim post naufragium restitutam velis, ac neges singula de quibus navis construitur.

31. *Veritas resurrectionis in quo sit. Similitudo angelorum nobis promissu in quo sit.* — Ego libere dicam, et quanquam torqueatis ora, trahatis capillum, applaudatis pede<sup>5</sup>, Judæorum lapides requiratis, fidem Ecclesie apertissime confitebor. Resurrectionis veritas sine carne et ossibus, sine sanguine et membris, intelligi non potest. Ubi caro et ossa, et sanguis et membra sunt, ibi necesse est ut sexus diversitas sit. Ubi sexus diversitas est, ibi Joannes Joannes, Maria Maria. Noli timere eorum

<sup>1</sup> In codice S. Crucis, *Novit et fidus est, et mox Redemptor tuus.*

<sup>2</sup> In eodem, *Ibi ossa et nervi: deinde ubi carnis structura.* Paulo post, *Videbit salutarem Dei, id est Jesum Dominum.*

<sup>3</sup> Ms. *Si non in sexu suo.*

<sup>4</sup> Idem *Tunc videbat vermiculos, et radebat.*

<sup>5</sup> Sæpe alibi Hieronymus *applodere pedem* dixit, atque hic quidem *applodatis* pro *applaudatis* libentius legerem.

<sup>6</sup> Codex S. Crucis, *Quid enim juvit eum gloria*

nuptias, qui etiam ante mortem in sexu suo sine sexu opere vixerunt. Quando dicitur: « In illa die neque nubent, neque nubentur (*Matth. xxii, 30*). » de his dicitur, qui possunt nubere, et tamen non nubent. Nemo enim dicit de angelis: « Non nubent, neque nubentur. » Ego nunquam audivi spiritualium Virtutum in cælo nuptias celebrari: sed ubi sexus est, ibi vir et femina. Unde et tu invitus licet, cogente veritate, confessus es, et dixisti: « Aut coronandus in corpore, quod caste egit et juste, aut condemnandus in corpore, quod voluptatibus iniquitatisque servivit. » Tolle corpus et pone carnem, et virum ac feminam non negasti. Quis enim vivit cum gloria pudicitie qui non habet<sup>6</sup> sexum, per quem committi potuit impudicitia? Quis enim unquam lapidem coronavit, quia virgo permanserit? Angelorum nobis similitudo promittitur, id est beatitudo illa in qua sine carne et sexu sunt angeli, nobis in carne et sexu nostro donabitur. Mea rusticitas sic credit, et sic intelligit sexum confiteri sine sexuum operibus: homines resurgere, et sic eos angelis adæquari. Nec statim superflua videbitur membrorum resurrectio, quæ caritura sint officio suo; cum adhuc in hac vita positi, nitamur opera non implere membrorum. Similitudo autem ad angelos, non hominum in angelos demutatio, sed profectus immortalitatis et gloriæ est.

32. *Enoch et Elias iterum.* — Argumenta vero illa puerorum, et infantium, et senum, et ciborum, **440** et stercore, quibus adversum Ecclesias uteris, non sunt tua: de gentiliū fonte manarunt. Eadem enim opponunt nobis ethnici. Qui Christianum esse te dicis, gentiliū arma depone. Discant illi magis a te resurrectionem carnis confiteri, quam tu ab illis negare. Aut si et tu de hostium numero es, ostende te libere adversarium, ut ethnicorum suscipias vulnera. Dono tibi nutriculas tuas, ne vagiant infantes; dono decrepitos senes, ne hiberno frigore contrabantur. Frustra etiam tonsores artificia didicerunt, scientes Israeliticum populum per quadraginta annos, nec unguium<sup>7</sup>, nec capillorum incrementa sensisse: et quod his majus est non sunt attrita vestimenta eorum; nec inveteraverunt calceamenta eorum. Enoch et Elias; de quibus dudum diximus, tanto tempore in eadem permanentate, qua rapti sunt. Habent dentes, ventrem, genitalia, et tamen nec cibis, nec uxori- bus indigent<sup>8</sup>. Quid potentiam Dei calumniaris?

*pudicitie, qui non habuit, etc.*

<sup>7</sup> Ex Hebræorum opinione dixerit, quibus exaggerare prodigia solemne est. Ungues et comas per quadraginta annos non succrescentes passim illi prædicant.

<sup>8</sup> Cod. S. Crucis *nec uxori- bus utuntur.* Mox veter edit. pro Græco verbo ἐντερικωνη, *interiori* habet; ms. noster, quemadmodum et supra, *enteriam* legit ferme cum Erasmo et Victorio. Recole Martiani quæ sequitur adnotationem.

qui potest de medulla illa et de seminario vestro <sup>1</sup>, *ἐντερίῳ*, non carnes tantum de carnibus, sed corpus educere, et aliud ex alio facere; et de aqua <sup>2</sup>, id est de vilitate carniū, pretiosa et ærei corporis vina <sup>3</sup> mutare: potest utique eadem potentia, qua de nihilo cuncta fabricatus est, reddere quæ fuerunt: quia multo minus est restituere quod fuerit, quam facere quod non fuit. Miraris si de infantibus et senibus in perfecti viri ætatem resurrectio fiat, cum de limo terræ absque ullis ætatum incrementis, consummatus homo factus sit? Costa mutatur in feminam; et tertio humanæ conditionis modo, vilia et pudenda nostræ nativitatæ elementa mutatur in carnes: ligantur membris <sup>4</sup>, discurrunt in venas, in ossa durantur. Vis et quartum genus humanæ generationis audire? « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc. i, 35*), » Aliter Adam, aliter Eva, aliter Abel, aliter homo Jesus Christus. Et in omnibus diversis exordiis, una hominis natura non differt.

33. *Testimonia quæ probant veram resurrectionem. Resurrectionis vocabulum quid significet.* — Resurrectionem carnis omniumque <sup>441</sup> membrorum si velim probare, et ad singula testimonia explanationes adjungere, multis libris opus erit: sed præsens causa hoc non desiderat. Proposui enim, non Origeni in omnibus respondere, sed fraudulentæ satisfactionis aperire mysteria. Attamen quia longus fui in assertionem contraria, et vereor ne dum fraudes pandere studeo, scandalum lectori reliquerim, acervatim testimonia ponam, cursimque perstringam, ut toto contra venenatam argumentationem. Scripturarum pondere dimicemus. Qui vestem non habet nuptialem, nec servavit illud mandatum: « Candida sint vestimenta tua semper (*Eccl. ix, 8*), » « manibus pedibusque constringitur, ne recumbat in convivio, sedeat in solio, stet ad dextram Dei; mittitur in gehennam, ubi fletus oculorum et stridor dentium est (*Matth. xxii, 13*). » « Capilli capitis vestri numerati sunt (*Luc. xii, 7*). » « Si capilli, puto facilius dentes. Frustra autem numerati, si aliquando perituri. » Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent (*Joan. v, 25*). » Audient auribus, procedent pedibus. Hoc et Lazarus ante jam fecerat. Procedent autem de monumentis, id est, qui monumentis illati fuerant <sup>5</sup>, venient mortui, et resurgent de sepulcris suis. « Ros

<sup>1</sup> *Vestro, ἐντερίῳ*. Codices mss. legunt hic *entariam*, vel *entiere*, vel *entria*. Cluniacensis, de *seminario vestro et interia*. Vocem Græcam, quam non intelligebant, mutarunt in Latinam exscriptores antiqui. Vide supra, quæ dicta sunt de eodem seminario Origenis. MARTIAN.

<sup>2</sup> *Et de aqua, etc.* Idem Cluniac. codex variam retinet hujusmodi lectionem: « Et de aqua, id est de vilitate carniū, pretiosa ætherea vina mutare: potes utique eadem sapientia, qua de nihilo, » etc. MARTIAN.

enim qui a Deo est medicina est ossibus ipsorum, » Tunc implebitur quod Dominus loquitur per prophetam: « Populus meus, intra in cellaria tua aliquantulum, donec ira mea transeat (*Isa. xxvi, 20, sec. LXX*). » Cellaria sepulcra significant, de quibus hoc utique profertur, quod conditum fuerat. Ex exhibent de sepulcris suis, veluti hinnuli de vinculis soluti. Gaudebit cor eorum, et ossa eorum sicut sol orientur; veniet omnis caro in conspectu Domini, et mandabit piscibus maris, et eructabunt ossa quæ comederant, et faciet compagem ad compagem, et os ad os; et qui in terræ pulvere dormierunt, resurgent; alii in vitam æternam, alii in opprobrium et confusionem æternam (*Dan. xii, 2*). Tunc videbunt justi impiorum pœnas atque cruciatus: quoniam vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt in conspectu omnis carnis (*Isa. lxvi, 24*). Quotquot igitur habemus hanc spem, sicut exhibuimus membra nostra famulantia immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem, <sup>442</sup> ita exhibeamus ea famulantia justitiæ ad sanctificationem: ut resurgentes ex mortuis, in novitate vitæ ambulemus (*Rom. vi, 4*). Quomodo et vita Domini Jesu manifestatur in nostro mortali corpore; et qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum ejus in nobis (*Rom. viii, 11*). Justum enim est ut qui semper mortificationem Christi in corpore nostro circumtulimus, vita quoque Jesu manifestetur in corpore nostro mortali id est in carne mortali secundum naturam æterna autem secundum gratiam. Vidit et Stephanus stantem Jesum ad dexteram Patris (*Act. viii*), et manus Moysi mutata est in candorem nivis, et deinceps colori pristino restituta (*Exod. iv*). In utraque diversitate manus fuit. Figulus ille Jeremiæ, cujus per duritiam lapidum vas quod fecerat, confractum est, de eadem massa et de eodem luto redintegravit quod ceciderat (*Jerem. xviii*): sed et ipsum *resurrectionis* vocabulum significat non aliud ruere, aliud suscitari: et quod adjicitur, *mortuorum*, carnem propriam demonstrat: quod enim in homine moritur hoc et vivificatur, Vulneratus ille itineris Jericho totus refertur ad stabulum, et delictorum plagæ immortalitate sanantur. (*Luc. x*).

34. *Resurrectionis veritas probata quadraginta diebus. Quare Christus comedit post resurrectionem. Marcionis error et blasphemia. Apollonius Tyaneus ante Domitianum.* — Aperta sunt et sepulcra in Domini passione, quando sol fugit, terra tremuit, et

<sup>3</sup> Ms. S. Crucis *Pretiosa ætherei vina, etc.*; non displiceret *ætheris*.

<sup>4</sup> Idem ms. *Ligantur in membris, discurrunt in venis: et mox genus humanæ conditionis. Paulo infra et nihilominus diversus diversis exordiis, etc.*

<sup>5</sup> Iterum idem ms. *qui in monumenta illati fuerant vivent mortui, etc.* Paulo post pro *medicina* in ms. aliisque passim editionibus est *medulla*, sed in Græco est *λαπα*.



multa corpora sanctorum surrexerunt, et visa sunt in sancta civitate (*Matth.* xxvii, 52). » Qui est, » inquit Isaias, « qui ascendit ex Edom : fulgida <sup>1</sup> vestimenta ejus ex Bosor, sic formosus in stola candida (*Isa.* lxiii, 1, *juxta* LXX). » Edom aut *terrenus* interpretatur, aut *cruentus*, Bosor aut *caro*, aut *in tribulatione*. Paucis verbis totum resurrectionis mysterium demonstrat, id est et veritatem carnis et augmentum gloriæ. Et est, sensus : Quis est iste qui ascendit de terra, ascendit de sanguine? Cujus vestimenta juxta prophetiam Jacob, qui alligavit pullum suum ad vitem (*Gen.* xlix, 11), et torcular calcavit solus, musto rubentia sunt de Bosor (*Isa.* lxiii, 4), id est, de carne, sive tribulatione mundi : ipso enim vicit mundum (*Joan.* xvi). Ideoque rubra et fulgida sunt vestimenta ejus : quia speciosus est forma præ filiis hominum (*Psal.* xlv, 1) : et propter gloriam triumphantis in stolam candidam commutata sunt ; et tunc vere ~~443~~ de Christi carne completum est : « Quæ est ista quæ ascendit dealbata, innitens super fratrualem suam (*Cant.* viii, 5). » Et quod in eodem libro scribitur : « Fratruelis meus rubicundus et candidus (v, 10). » Hunc imitantur, qui vestimenta sua non coinquinaverunt cum mulieribus (*Apor.* xiv, 4) : virgines enim permanserunt qui se castraverunt propter regna cælorum. Itaque in albis erunt vestibus. Eo tempore sententia Domini opere perfecta monstrabitur : « Omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo quidquam, sed resuscitabo illud in novissimo die (*Joan.* vi 39). » Totum videlicet hominem, quem totum nascendo susceperat. Tunc ovis quæ perierat, et in inferioribus oberrabat, humeris Salvatoris tota portabitur : et quæ peccatis languida fuit, clementia judicis sustentabitur (*Luc.* xv), Tunc videbunt illum qui compunxerunt, qui clamaverunt : « Crucifige, crucifige talem (*Joan.* xix 6). » Tribus et tribus cædent pectora, ipsi et mulieres eorum. Illæ mulieres, quibus Dominus locutus est crucem portans : « Filie Jerusalem, nolite flere super me sed super vos flete, et super filios vestros (*Luc.* xxiii, 28). » Tunc angelorum vaticinium complebitur, qui stupentibus apostolis <sup>2</sup> sunt locuti : « Viri Galilæi, quid statis stupentes in cælum, hic Jesus qui a vobis assumptus est in cælum, sic veniet, quem admodum vidisti eum euntem in cælum (*Act.* i, 11). » Quale est autem, idcirco dicere Dominum post resurrectionem quadraginta diebus comedis <sup>3</sup> cum apostolis, ne phantasma putaretur (*Ibid.* 3) ; et hoc ipsum quod comedit, in carne et in membris visus est, in phantasmate confirmare? Aut verum est quod videbatur, aut falsum. Si verum est, ergo vere comedit, et vere membra habuit. Si autem falsum, quomodo res falsas ostendere voluit, ut

<sup>1</sup> Hic atque infra constanter codex S. Crucis *fulvida*.

<sup>2</sup> Emendamus ac supplemus ex ms. S. Crucis ; antea enim obtinebat imperfecto sensu, *qui stupentibus apostolis euntem in cælum dixerunt*. Emenda-

resurrectionis veritatem probaret? Nemo enim falso verum probat. Ergo, inquires, et nos post resurrectionem comesuri sumus? Nescio. Non enim scriptum est : et tamen si quærat, non puto comesuros. Legi enim, non esse regnum Dei cibus et potum, repromittens quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt (*I Cor.* ii, 9). Moyses (*Deut.* ix, 9) et Elias (*III Reg.* xix, 8) quadraginta diebus jejunaverunt ac noctibus. Hoc hominum natura non patitur, sed quod homini ~~444~~ impossibile est, Deo impossibile non est sicut qui futura prædicit, non interest utrum post decem annos, aut post centum futura pronuntiet, quia una est scientia futurorum : sic qui quadraginta diebus potest jejunare et vivere, imo non potest jejunare, sed vivit virtute Dei ; et æterno tempore poterit absque esca et potu vivere. Quare favum comedit Dominus? Ut resurrectionem probaret ; non ut tuis faucibus mella permitteret. Piscem in prunis assum petiit, ut dubitantes confirmaret apostolos, qui ad illum accedere non audebant, quod putarent se spiritum videre, non corpus (*Joan.* xxi, 9) Archisynagogi filia suscitatur, et cibus accipit (*Marc.* v) : Lazarus quadriduanus mortuus resurgit, et prandens inducitur (*Joan.* xi) : non quia apud inferos esuriebat, sed qui difficultas operis scrupulositatem fidei requirebat. Quomodo veras manus et verum ostendit latus, ita vere comedit cum discipulis ; vere ambulavit cum Cleopha : vere lingua locutus est cum hominibus ; vero accubitu discubuit in cæna ; veris manibus cepit panem, benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. Quod autem ab oculis repente evanuit, virtus Dei est, non umbræ phantasmatis. Alioquin et ante resurrectionem, cum eduxissent eum de Nazareth, ut præcipitarent de supercilio montis, transivit per medios, id est, elapsus est de manibus eorum. Nunquid juxta Marcionem dicere possumus, quod ideo nativitas ejus in phantasmate fuerit, quia contra naturam qui tenebatur, elapsus est? Quod magis licet, hoc Domino non licet? Apollonius Tyaneus scribitur cum ante Domitianum staret in consistorio, repente non comparuisse. Noli potentiam Domini magorum præstigiis adæquare, ut videatur fuisse quod non fuit, et putetur comedis sine dentibus, ambulasse sine pedibus, fregisse panem sine manibus, locutus esse sine lingua <sup>4</sup>, et latus monstrasse sine costis.

35 Et quomodo, inquires, non cognoscebant eum in itinere, si ipsum habebat corpus quod ante habuit? Audi Scripturam dicentem : « Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent (*Luc.* xxiv, 16). » Et rursum : « Aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum (*Ibid.* 31). » Nunquid alius

tionis veritas ex ipso contextu liquet.

<sup>3</sup> Verbum *comedis* in ms. desideratur. Deinde habetur, *aut verum est quod dicitur, aut falsum*, ne singillatim errores amanuensium memorem.

<sup>4</sup> Ms. *Sine lingua et capite, et latus, etc.*

fuit quando 445 non agnoscebatur, et alius quando agnitus est? Certe unus atque idem erat. Cognoscere ergo, et non cognoscere, oculorum fuit, non ejus qui videbatur, licet et ipsius fuerit. Oculos enim tenebat eorum, ne se agnoscerent. Denique ut scias errorem qui versabatur in medio, non corporis Domini, sed oculorum fuisse clausorum: « Aperti sunt oculi eorum, inquit, et cognoverunt eum (Joan. xx). » Unde et Maria Magdalene quando non agnoscebat Jesum, et vivum quærebat inter mortuos, hortulanum putabat. Agnoscit, et Dominum vocat. Post resurrectionem Jesus stabat in littore, discipuli in navi erant. Cæteris non noscentibus eum, dicit discipulus quem diligebat Jesus, Petro, « Dominus est (Joan. xxi, 7) » Prior enim virginitas virginalis corpus<sup>1</sup> agnoscit. Idem erat, et non idem omnibus videbatur. Statimque subjungitur: « Et nemo audebat interrogare eum. Tu quis es? scientes quod Dominus est (Ibid. 12). » Nemo audebat, quia Deum sciebant. Vescebantur cum prandente, quia hominem et carnem videbant, non quod alter Deus, alter homo esset, sed unus atque idem Filius Dei agnoscebatur ut homo, adorabatur ut Deus. Scilicet nunc mihi philosophandum est, incertos esse sensus nostros, et maxime visum. Carneades aliquis ab inferis excitandus, ut proferat verum<sup>2</sup>. Remum in aqua fractum videri, porticus longius angustiores, rotundos procul turrium angulos, columbarum colla ad singulas conversiones colorem mutantia. Cum Rhode Petrum nuntiaret, et apostolis diceret (Act. xii), ob periculi magnitudinem evasisse, non credunt, phantasma suspicantur. Porro quod clausis ingressus est ostiis, ejusdem virtutis fuit, cujus et ex oculis evanescere. Lynceus (ut fabulæ ferunt) videbat trans parietem: Dominus clausis ostiis, nisi phantasma fuerit, intrare non poterit? Aquilæ et vultures transmarina cadavera sentiunt. Salvator apostolos suos, nisi ostium aperuerit, non videbit? Dic mihi, acutissime disputator, quid est majus, tantam terræ magnitudinem appendere<sup>3</sup> super nihilum, et super aquarum incerta librare; an Deum transire per clausam portam, et creaturam cedere Creatori? Quod majus est, tribuis; 446 quod minus est, calumniaris. Petrus super aquas ambulat gravi et solido corpore (Matth. xiv, 28). Mollis unda non cedit: paululum fides dubitat, et statim naturam suam corpus intelligit; ut sciamus, super aquas non corpus ambulasse, sed fidem.

<sup>1</sup> Ms. S. Crucis *convirginale corpus*, etc.

<sup>2</sup> *Ut proferat verum*. Antea falso legebatur: *Ut proferat remum in aqua fractum, videri porticus, etc.* MARTIAN. — Vocem *verum* veteres editiones non habent.

<sup>3</sup> Verbum *appendere* in ms. desideratur.

<sup>4</sup> *Oro te*; etc. Hic quoque falsa erat lectio: *Oro te, qui tantum contra resurrectionem sentis argumentaris, an simpliciter mecum loqueris.* MARTIAN.

<sup>5</sup> Vetus edit. *Qui tantum contra resurrectionem sentiens, argumentaris, ut nihil mecum, etc.*

A 36. *Marcionitæ disputatio*. — Oro te<sup>4</sup>, qui tantis contra resurrectionem uteris argumentis, ut simpliciter mecum loquaris<sup>5</sup>. Credis vere Dominum resurrexisse, in eodem quo mortuus, quo sepultus est corpore, annon credis? Si credis, cur ista proponis per quæ resurrectio denegatur? Si non credis, qui ita imperitorum lactas animas, et resurrectionem casso nomine ventilas? audi<sup>6</sup>. Nuper de Marcionis quidam schola: Væ, inquit, ei, qui in hac carne, et in his ossibus resurrexerit. Gaudens animus statim intulit: « Consepulti enim sumus, et consurreximus cum Christo per baptismum<sup>7</sup> (Rom. vi, 4). Animæ, an carnis resurrectionem dicis? Respondi, non solius animæ, sed carnis, quæ cum anima renascitur in lavacro. Et quomodo peribit, quæ in Christo renata est? Quia scriptum est, ait: « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt (I Cor. xv, 50). » Attende, obsecro te, quod dicitur, « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. » Nunquid non resurgent? Absit; sed non possidebunt. Quare non possidebunt? Quia, sequitur, « neque corruptio incorruptionem possidebit (Ibid.). » Tandiu ergo regnum Dei non possidebunt, quamdiu caro tantum sanguisque permanserint. Cum autem corruptivum induerit incorruptionem, et mortale induerit immortalitatem (Ibid. 54), et lutum carnis in testam fuerit excoctum, quæ prius gravi pondere promebatur in terram, acceptis spiritus pennis et immutationis, non abolitionis<sup>8</sup>, nova gloria volabit ad cælum: et tunc implebitur illud quod scriptum est: « Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus (Osee xiii, 14: I Cor. xv, 55)? »

C 37. *Joannis Epist. ad Theophil. Cæsaria metropolis Palestinæ: totius Orientis Antiochia. Isidorus presbyter*. — Præpostero ordine de animarum statu et carnis resurrectione respondimus: omissisque principiis Epistolæ, tota nobis contra egregios tractatus ejus fuit disputatio. Maluimus enim de Dei rebus, quam de nostris injuriis dicere: « Si peccaverit homo in hominem, rogabunt pro eo<sup>9</sup> ad Dominum. Si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo (I Reg. ii, 25)? » Nunc e diverso 447 super omnia nostros adversarios immortalis odio persequimur: blasphemantibus Deum, clementem porrigimus manum. Scribit ad Theophilum episcopum apologiam<sup>10</sup>, cujus istud exordium est: « Tu quidem ut homo Dei, et apostolica orna-

<sup>6</sup> *Audi*. Nuper, etc. In isto similiter loco falsa retinetur hujus modi lectio: *Audi nuper de Marcionis schola: Væ.* MARTIAN.

<sup>7</sup> Ms. *Consurreximus Christo in baptismo*.

<sup>8</sup> Idem *Spiritus pennis immutatis, non abolitis*.

<sup>9</sup> Denuo idem ms. *Orabunt pro eo. Si autem, etc.*, renuente Græco textu.

<sup>10</sup> Desinit hic loci ms. S. Crucis hac addita clausula: *Explicit liber Hieronymi contra dogma Origenis de resurrectione. Et, Explicit liber Eusebii Hieronymi de resurrectione carnis.*

tus gratia, curam omnium Ecclesiarum, maxime ejus quæ in Hierosolymis est, sustines, cum ipse plurimis sollicitudinibus Ecclesiæ Dei, quæ sub te est, distringaris. » Laudat faciem, ad personam principium trahit. Tu qui regulas quæris ecclesiasticas, et Nicæni<sup>1</sup> concilii canonibus uteris, et alienos clericos, et cum suis episcopis commorantes tibi niteris usurpare, responde mihi, ad Alexandrinum episcopum Palæstina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæstinæ metropolis Cæsaria sit, et totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsariensem episcopum referre debueras, cui, spreta communione tua, communicare nos noveras; aut si procul expetendum judicium erat, Antiochiam potius litteræ dirigendæ. Sed novi cur Cæsariam, cur Antiochiam nolueris mittere. Sciebas quid fugeres, quid vitares. Maluisti occupatis auribus molestiam facere, quam debitum metropolitano tuo honorem reddere. Nec hoc dico, quod præter amicitias, quæ suspicionem generant, quidquam in legatione reprehendam; sed quia apud interrogantes magis et præsentibus te purgare debueras. « Misisti religiosissimum hominem Dei Isidorum præbyterum, virum potentem jam ex ipsa incessus et habitus dignitate quam divinæ intelligentiæ, curare etiam eos, qui animo vehementer ægrotant: si tamen sensum sui languoris habeant. Homo Dei mittit hominem Dei. » Nihil interest inter presbyterum et episcopum; eadem dignitas mittentis et missi; hoc satis imperite: in portu, ut dicitur, naufragium. Iste Isidorus qui in cælum suis laudibus tollitur, id ipsum infamatur Alexandriæ, quod tu Hierosolymæ; ex quo non legatus advenisse videtur, sed socius. Alioquin et litteræ<sup>2</sup> manu ejus scriptæ, quæ ante tres menses legationis ad nos directæ erant, portantes errorem<sup>3</sup>, Vincentio presbytero redditæ sunt, quæ usque hodie ab eo tenentur, quibus cohortatur<sup>4</sup> ducem exercitus sui, ut super petram fidei, stabili persistat gradu, nec nostris nœniis terreatur<sup>5</sup>. Pollicetur se antequam legationis esset ulla suspicio, venturum Hierosolymam, et ad adventum suum illico adversariorum cuneos proterendos. Et inter cætera his etiam verbis utitur: « Quomodo fumus in aere dissolvitur, et cera ad viciniam ignis liquefcit: ita dissipabuntur qui semper ecclesiasticæ fidei resistentes, nunc per homines simplices eandem fidem inquietare conantur. »

38. Rogo te, lector, qui hoc scribit antequam veniat, qui tibi videtur? adversarius, an legatus? Iste est quem nos piissimum vel religiosissimum, et, ut verbum exprimamus e verbo, *deicolam* [θεοσε-

<sup>1</sup> Respicit Nicænos canones 6 et 7 quibus Cæsaria non tam constituitur, quam constituta recognoscitur Palæstinæ metropolis, eique isthæc prærogativa confirmatur.

<sup>2</sup> Vetus edit. *Alioquin proferantur et litteræ.*

<sup>3</sup> Rescribendum videntur, *portantis errore*; sed fortasse verius *portantes terrorem*, ut Wastelius in Vindiciis putat.

θεοστατον] possumus dicere. Iste est homo divinæ intelligentiæ; tam potens, et tanta incessus ac habitus dignitate, ut quasi spiritualis Hippocrates, languorem animarum nostrarum sua potuerit præsentia mitigare, si tamen nos voluerimus suæ medicinæ acquiescere. Curet se tali medicamine, qui etiam alios curare consuevit. Nobis divina illa intelligentia, pro Christo stultitia est. Libenter nostra rusticitate languemus, ne collyrio vestro impie videre discamus. « Tuæ vero sanctimoniæ, pro optima voluntate quasi ad finem usque perducta sit, deprecamur Dominum in sanctis locis nocte ac die, ut ei reddat perfectam mercedem, et coronam vitæ largiatur. » Recte gratias agis; nisi enim venisset Isidorus, tu in tota Palæstina jam fidelem sodalem non invenisses. Nisi ille tibi promissum apportasset auxilium, hæeres in turba rusticorum, quæ sapientiam tuam intelligere non posset. Hæc ipsa apologia, de qua nunc sermo est, Isidoro præsentibus et multum collaborante, dictata est, ut idem esset et dictator et bajulus litterarum.

39. *Archelaus comes. S. Epiphaniï prudentia.* — « Cum ergo huc<sup>6</sup> venisset, et accessisset ad nos tribus vicibus, et admovisset tam divinæ sapientiæ tuæ, quam propriæ intelligentiæ habentia medicinam verba. nec profuit alicui, nec profuit ei quisquam. » Hic qui ad tres vices dicitur ad nos accessisse, ut in veniendo mysticum numerum conservaret, qui Theophili episcopi mandatum<sup>449</sup> nobis loquebatur, litteras ad nos ab eo missas noluit reddere. Cumque diceremus: Si legatus es, rudde legationis epistolam: si epistolam non habes, quomodo legatum te probabis? Respondit se habere quidem litteras ad nos: adjuratum tamen ab Hierosolymorum episcopo, ne nobis eas redderet. En legati constantia, qui ut pacem faceret, et suspicionem in alteram partem favoris excluderet, æquum se utrisque tribuit. Et quia sine emplastro venerat, et medicorum armamenta non habebat, idcirco ejus medicina non profuit. Hieronymus et hi cum eo sunt, « et secreto et coram omnibus, frequentissime et sub jurisjurandi testificatione satis ei fecerunt, quod nunquam de nobis [Al. vobis] ambiguitatem aliquam habuerint fidei, dicentes: Quomodo eo tempore quando communicabamus ei, nunc similiter eundem affectum habemus<sup>6</sup> de ratione fidei. » Videte quid faciat concordia dogmatum. Isidorus, ut hæc significaret, ejus socius erat, homo Dei et presbyter θεοσεβηστατος, et vir potens, et sacro ac venerabili incessu, et divinæ intelligentiæ, et Hippocrates Christianorum vocatur. Ego misellus dum in solitudine

<sup>4</sup> Eadem, *Nec nostris minis terreantur.*

<sup>5</sup> P. Wastelius legendum contendit *ad eos*, minime suffragantibus mss.

<sup>6</sup> Idem Wastelius in vetustiori quadam edit. legi testatur, *Tunc similiter eundem affectum habebamus*; quam lectionem tueri frustra conatur, cum aut nullus, aut sane incongruus, et Hieronymianæ menti contrarius sit sensus.

delitescio, a tanto pontifice repente truncatus, presbyteri nomen amisi. Et tamen iste Hieronymus, cum pannosa turba et sordidatis gregibus, quid Isidoro illi fulmineo [Al. fulmine] ausus est respondere? At ne forte ille non cederet et opprimeret eos presentia, et mole corporis sui<sup>1</sup>, non semel, non tertio, sed frequentissime juraverunt, se eum de quo quæstio erat, scire orthodoxum, nec unquam in suspitione habuisse hæreseos. O apertum impudensque mendacium! o testimonium pro se, nec Catoni creditum! In ore enim duorum vel trium testium stat omne verbum (Deut. xxvii, 6; et Matth. xviii, 16; et II Cor. xiii, 1). Alicubi [Al. aliquando] ne dictum, aut tibi alicubi mandatum est, quod sine satisfactione fidei communionem tuam subiremus? Quando per virum disertissimum et Christianissimum Archelaum comitem, qui sequester pacis erat, condictus locus fœderis fuit, nonne hoc in primis postulatum est, ut futuræ concordie fides jaceret fundamenta? Pollicitus est esse se venturum. Instabat dies 150 Paschæ: frequens monachorum turba convenerat [Al. venerat]: expectabaris in loco: quid faceres nesciebas. Repente mandasti egrotare nescio quam: illo die te non posse venire. Ludione an episcopus hæc loquitur? Pone verum esse quod dicis, propter unius mulierculæ delicias, ne te absente doleat caput, fastidium sustineat, stomacho perfrigescat, Ecclesiæ causam negligis? tot virorum, et Christianorum et monachorum contemnitis presentiam? Nolumus occasionem dare: videbamus enim stropham dilationis tuæ, injuriam patientia vicimus. Rescribit [Al. quod scribit] Archelaus: monet altero et tertio die manere, si vellet [Al. si velles] venire. At ille occupatus: muliercula enim vomere non cessavit: dum nauseam evasisset, nostri penitus oblitus est. Post duos ergo menses tandem expectatus venit Isidorus, qui non ut tu fingis, pro te testimonium, sed causam postulata satisfactionis audivit. Cum enim objiceret nobis, quare ei communicastis, si hæreticus erat? audivit ab omnibus, communicavimus nihil de hæresi suspicantes. Postquam vero a beato papa Epiphonio conventus, tam sermone, quam litteris, respondere contempsit: cunctis monachis ab eodem Epiphonio scripta venerunt, ut absque satisfactione fidei, nullus ei temere communicaret. Præsto sunt litteræ, nec super hæc re dubitari potest. Hæc sunt quæ fratrum turba respondit, non ut tu argumentaris, ex eo te non esse hæreticum, quia aliquando non dictus sis. Hæc enim ratione egrotare non debet, qui ante egrotationem sanus fuit.

<sup>1</sup> Ex eorum nempe erat Isidorus genere, qui ob staturæ proceritatem fratres Longi dicti sunt, Dioscorus nempe, Ammonius, Eusebius, Euthymius, quorum in ecclesiastica historia memoria notissima.

<sup>2</sup> Vetus edit. Et monachorum patientiam tentas.

<sup>3</sup> Eadem Vetus edit. Vitium interpretatoris putet. Et paulo post. Dicis vos omnino, etc., et consequenter perhorrescis.

40. *Pauliniani ordinatio.* — Quando autem coeptum est de ordinatione Pauliniani, et aliorum qui cum eo sunt, ventilari, videntes se reprehendi, cum propter charitatem atque concordiam concederentur eis omnia; hoc autem solum expeteretur, ut licet ab aliis contra regulas ordinati essent, tamen subicerentur Ecclesiæ Dei; ut non scinderent eam, atque proprium sibi facerent principatum: in hoc non acquiescentes, coeperunt proponere de fide, et omnibus notum facere, quod si non arguerentur hi qui cum Hieronymo presbytero erant, nihil culparent in nobis. Sin autem arguerentur erroris et culpæ, cum penitus non queant de istiusmodi quæstionibus disputare, satisfactionem errati proprii non inventientes, ad ista confugerent: non quo sperarent nos posse convinci, sed famam nostram lædere niterentur. »

41. *Paulinianus presbyter Cypri versabatur. Hieronymus ordinatus a Paulino.* — Quod perplexa oratio est, nemo vitium interpretationis putet<sup>3</sup>. Talis enim et Græca est. Interim ego gaudeo quod qui me decollatum putabam, subito mihi presbyterii caput video repositum. Dicit nos omnino convinci non posse, et venire ad prælium perhorrescit. Si causa discordiæ non ex dissensione fidelium est, sed ex Pauliniani, ut dicis, ordinatione descendit, quæ tanta stultitia est volentibus occasionem dare, nolle respondere? Confi tere fidem; sed tamen responde quod quæreris, ut omnibus luceat, non de fide, sed de ordinatione esse certamen. Quamdiu enim interrogatus de fide tacueris, potest tibi adversarius dicere: Non est ordinationis causa sed fidei. Si ordinationis causa est, stulte facis de fide interrogatus tacere. Si fidei, stulte prætendis ordinationem. Porro quod dicis te petisse ut subicerentur Ecclesiæ Dei, ut non scinderent eam, neque proprium sibi facerent principatum, de quibus dicas, non satis intelligo. Si de me et de presbytero Vincentio<sup>4</sup>, satis multo dormisti tempore, qui post annos tredecim, nunc excitatus hæc loqueris. Ob id enim et ego Antiochiam, et ille Constantinopolim, urbes celeberrimas deservimus, non ut te in populis prædicantem laudaremus, sed ut in agris et in solitudine adolescentiæ peccata deslentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus. Sin autem de Pauliniano tibi sermo est, vides eum episcopo suo esse subjectum, versari Cypri, ad visitationem nostram interdum venire, non ut tuum, sed ut alienum: ejus videlicet, a quo ordinatus est. Quod si hic etiam esse voluerit, et in exilio nostro quietus in solitudine vivere, quid tibi

<sup>4</sup> Presbytero Vincentio, Non legas Innocentium, sed Vincentium: uti compertum nobis est ex supra dictis, et ex tertio libro adversus Rufinum, ubi dicitur Vincentium in portu Romano navem ascendisse securam cum Hieronymo Hierosolymam redeunte. A quo autem tempore numerentur anni tredecim, de quibus nunc sermo est, alibi dicemus in Notis chronologicis. MARTIAN.

debet, nisi honorem quem omnibus debemus episcopis? Fac a te ordinatum: idem ab eo audies; quod a me misello homine sanctæ memoriæ 452 episcopus Paulinus audivit. « Num rogavi te, ut ordinarer? Si sic presbyterium tribuis, ut monachum nobis non auferas, tu videris de iudicio tuo. Sin autem sub nomine presbyteri tollis mihi, propter quod sæculum dereliqui, ego habeo quod semper habui: nullum dispendium in ordinatione passus es. »

42. *Competentes in Ecclesia. Ab specu Domini prohibitus Hieronymus.* — « Ut non scinderent, inquit, eam, neque proprium sibi facerent principatum. » Quis scindit Ecclesiam? Nos, quorum omnis domus Bethleem in Ecclesia communicat? An tu qui aut bene credis, et superbe de fide taces: aut male, et vere scindis Ecclesiam? Nos scindimus Ecclesiam, qui ante paucos menses circa dies Pentecostes, cum obscurato sole, omnis mundus jamjamque venturum iudicem formidaret, quadraginta diversæ ætatis et sexus, præbyteris tuis obtulimus baptizandos? Et certe quinque presbyteri erant in monasterio, qui suo jure poterant baptizare: sed noluerunt quidquam contra stomachum tuum facere, ne et hæc tibi de fide reticendi daretur occasio. An non tu potius scindis Ecclesiam, qui præcepisti Bethleem presbyteris tuis: ne competentibus nostris in Pascha baptismum traderent, quos nos Diospolim (*Lidda*) ad confesorem et episcopum misimus Dionysium<sup>1</sup> baptizandos? Ecclesiam scindere dicimur, qui extra cellulas nostras locum Ecclesiæ non habemus? An non tu scindis Ecclesiam, qui mandas clericis tuis ut si quis Paulinianum ab Epiphano episcopo consecratum presbyterum dixerit, Ecclesiam prohibeatur intrare. Ex quo tempore usque in præsentem diem videmus tantum specum Domini; et hæreticis intrantibus, procul positi suspiramus.

43. Nosne sumus, qui Ecclesiam scindimus: an ille qui vivis habitaculum, mortuis sepulchrum negat, qui fratrum exsilia postulat? Quis potentissimam illam feram, totius orbis cervicibus imminentem, contra nostras cervices specialiter<sup>2</sup> incitavit? Quis ossa sanctorum, et innocuos cineres hucusque verberari ab imbris sinit? His nos blandimentis bonus Pastor invitat ad pacem, 443 et proprium arguit facere principatum: qui omnibus episcopis, rectam duntaxat fidem tenentibus, et communione et charitate sociamur. An tu solus Ecclesia es, et

A qui te offenderit, a Christo excluditur? Si proprium defendimus principatum, ostende nos in parœcia tua habere episcopum. Quod tibi non communicavimus, fidei est: responde, et ordinationis erit.

44. « Occasionem quoque fingunt aliarum litterarum, quas dicunt sibi scripsisse Epiphanium. Quanquam dabit ille rationem pro omnibus quæ gesta sunt ante tribunal Christi, ubi major et minor absque ulla personarum acceptione judicabitur. Attamen quomodo possunt illius niti epistola, quam de ordinatione Pauliniani illicita, et illorum qui cum eo sunt, a nobis coargutus scripsit: sicut et ipsa ejus epistola in exordio suo significat? » Rogo quæ tanta est cæcitas, Cimmeriis, sicut aiunt, tenebris involuta? Dicit nos occasionem fingere, et Epiphani aduersus se litteras non habere, statimque subjungit: « Quomodo possunt illius niti epistola, quam de ordinatione Pauliniani illicita, et eorum qui cum eo sunt, a nobis coargutus scripsit: sicut et ipsa ejus epistola in exordio suo significat? » Non habemus epistolam. Et quæ est illa epistola 454 quæ in exordio suo de Pauliniano loquitur? Est aliquid post exordium, cujus tu times facere mentionem. A te est coargutus ætatis, qua Paulinianus erat. Presbyterum ordinas, et legatum mittis ac socium: tantamque habes fiduciam, ut ibi Paulinianum mentitus es puerum illuc puerum mittas presbyterum. itemque Theosecam (*Al. Theosobium*) Thiriæ Ecclesiæ diaconum facis presbyterum, et contra nos armas, illiusque in nos abuteris eloquentia. Tibi soli licet Ecclesiæ jura calcare: tu quidquid feceris, norma doctrinæ est; et non erubescis ante tribunal Christi iudicandum tecum Epiphanium provocare. Quæ sequuntur post hoc capitulum, hæc sunt: Mensæ suæ et domus contubernium imputat Epiphano, scribitque eum nunquam esse secum de Origenis dogmatibus locutum, et sub jurisjurandi testificatione confirmat, dicens: « Ne suspicionem quidem, sicut Deus testis est, perversæ in nos fidei se habere monstravit. » Nolo respondere et arguere acriter, ne perjurii episcopum convincere videar. Præsto sunt plures epistolæ Epiphani: una ad ipsum, aliæ ad episcopos Palæstinos, et nuper ad Romanæ urbi pontificem: in quibus dicit se eum coram multis, de dogmatibus arguentem, non meruisse responsum, totumque nostræ parvitatæ testis est monasterium<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Hic ille Dionysius Liddensis, sive Diospolitani est, cujus ante ineditam Epistolam de Origenistarum damnatione vulgavimus in priori tomo sub numero 94.

<sup>2</sup> Lego cum mss. *specialiter*; quod legi oportere pro *spiritualiter* Gravius quoque docuerat, et sensus postulat. Feram autem illam quam contra Hieronymum Joannes incitaverat, quidam intelligi volunt Rufinum Arcadii tutorem, illum perduellem, qui ducem Gothorum Alaricum vocavit contra Arcadium, ut ipse ejus imperium occuparet;

sed repulso Alarico, ipse trucidatus est, labente an 395. Apertius ipse Hieron. ad Theophilum aduersus ipsum Joannem epistola 82, *Nuper, inquit, nobis postulavit, et impetravit exsilium; atque utinam implere potuisset,* etc.: fortasse quia trucidato statim Rufino, rescriptum illud nullius erat auctoritatis.

<sup>3</sup> Ex hac operis conclusione docti viri argumentantur, librum abs Hieronymo non fuisse absolutum. Vide in hanc rem præfixam huic libro Admonitionem.